BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
150
L
69
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

DELICIAE

ERVDITORVM.

Digitized by Google

Digitized by Google

DELICIAE ERVDITORVM

SEV

VETERVM ΑΝΕΚΔΟΤΩΝ OPVSCVLORVM COLLECTANEA

IO. LAMIVS

Collegit, illuſtravit, edidit.

FLORENTIAE. MDCCXXXVII.
Ex Typographio PETR. CAIET. VIVIANII.
Ad Inſigne D. THOMAE AQVINATIS.

Cum adprobatione.

Digitized by Google

VA1 1510087

HISTORIAE PONTIFICIAE ET AVGVSTAE

PARS SECVNDA

CHRONICON IMPERATOVM
LEONIS VRBEVETANI
COMPLECTENS.

Digitized by Google

CELSITVDINI REVERENDISSIMÆ
D. D.
IOS. DOMIN. FRANC.
K I L I A N I
EX COMITIBVS LAMBERG
EPISCOPI ET PRINCIPIS
PASSAVIENSIS &c. &c.

I O. L A M I V S S. P. D.

AVdaciam meam in hoc Libello CELSITVDINI TVAE nuncupando, ne mireris,

Digitized by Google

quaeſo, REVERENDISSIME PRINCEPS; mei enim fiduciam apud TE neſcio quam Clementia Tua, & Benignitas, mihi perſpectiſſimae dederint. Siquidem memini, quum Vindobonae agerem, me a TE humaniter evocatum, & comiter exceptum, & ad colloquia Tua gratiſſime admiſſum, indolem meam, ac ſtudia, & doctrinae in primis Eccleſiaſticae amorem, AMPLITVDINI TVAE aliquatenus adprobaviſſe. Quin & diſceſſionem ex illa Vrbe meam aegre TE ferre teſtatus es; & Virum Sacris Litteris adprime inſtructum, & varia quoque eruditione conſpicuum, ad Tuae ornatiſſimae Bibliothecae praefecturam, & ad ſtudiorum Eccleſiaſticorum Paſ-

ſaviae, Metropoli Tua, inſtitutionem, ex Etruria praecipue arceſſendum, ex me requirere non dedignatus. Vides iam quales in me quantoſque animos excitaveris. Et bene quidem res habet. Heinc enim cauſſa ſubeſt, cur non omnino ingratus, & Tuae in me Clementiae, beneficii, & honoris, immemor perpetuo iam videar; & TIBI, Tuoque vere incluto & immortali Nomini, mei grati animi & venerationis monumentum, hoc Volumen inſcribere audeam. Sed etſi minus iſta aut adlicerent aut impellerent; nonne favor ille ac praeſidium vere TE tanto Principe, Natalibus Tuis clariſſimis, Tuo excellenti imperio digniſſimum, quo ſcientiam, doctrinas,

diſciplinas, litteras, bonaſque artes foves, & amplecteris, carminis cuiusdam potentiſſimi inſtar, ad hoc litterarium munuſculum TIBI obferendum, mirabiliter attraxiſſent? TV Viros doctos undique convocas, & familiares iugiter habes; TV libros cuiuscumque doctrinae munifice comparas, & Bibliothecam inſtructiſſimam dedicas; TV ſcholas ac gymnaſia, quibus iuventus erudiatur, aut excitas, aut inſtauras; Tuum denique Palatium, Muſarum templum quoddam merito dici poſſit, in quo TV tandem, & iure quidem optimo, Gloriae, atque AEternitati, conſecreris. Adde quod ea hoc mearum DELICIARVM Volumen continet, quae TE Sacri Romani Im-

pe-

perii Principem Ampliſſimum deceant, Romanorum ſcilicet Imperatorum, a Carolo Magno ac deinceps, hiſtoriam; varia Caeſarum eorumdem Diplomata, Edicta, & Epiſtolas; breves quaſdam coactaſque, ſeu meas, ſeu alterius alicuius, Commentationes, ex quibus proclive ſit lucem nonnullam hiſtoriae huiuſmodi Auguſtae foenerari. Patere igitur ut hic Libellus glorioſo tuo Nomine inſignis ac felix auſpicatiſſime prodeat, &, prout alios conſueviſti, clementer eum ac leniter excipe, potenti patrocinio tuere, & ab adgreſſionibus malevolorum, & calumniis omnibus maieſtate Nominis vindica. Ipſe interim CELSITV-

DINI TVAE REVERENDISSIMAE proſpera ac fauſta omnia a DEO OPT. MAX. precor, quo diu TV litteratorum hominum felicitati ſoſpes incolumiſque ſerveris. Dabam Florentiae Idibus Novembris A. R. S. MDCCXXXVII.

CAN-

Digitized by Google

CANDIDO LECTORI

IO. LAMIVS S. D.

A*Liam Chronici* LEONIS VRBEVETANI *partem, quae Imperatorum Romanorum Occidentis res geſtas, hiſtoriamque, complectitur, publici iuris en facimus; at non nudam, ac ſimplicem, qualem Auctor ille texuerat; verum intermiſta opuſculorum propoſito cohaerentium amoena varietate delectabilem, antiquis monumentis inſtructam, hiſtoricis obſervationibus divitem, ſcholiis, ubi opus fuit, haud inutilibus illuſtratam. Quae quidem omnia ut ſingillatim explicem, &, quid mea opera, & improbus adſiduuſque labor, in hac editione praeſtiterit, enucleatius & diſtinctius exponam, tria potiſſimum compendiaria oratione praeſtringam atque exſequar: & primum dicam quae*

ſint

ſint ea ſingula, & qualia, & a quibus Auctoribus elaborata, quaecumque volumine hoc continentur; ſecundum quibus Codicibus MSS. quibus praeſidiis, uſus ea induſtrie comparare, & colligere diligenter, ac digerere tandem, atque in vulgus prodere haud inornata potuerim; tertium, quaenam luculentiori enarratione, aut caſtigatiori examine, aut opportuna retractatione declaranda, penſitandaque, & refingenda etiam & quomodo, in utriuſque Chronici decurſu videantur, innuere. Opus enim a me anguſtiis temporis preſſo alicubi praecipitatum, vel ſupplendum ubi deficit; vel ubi minus recte habere deprehenditur, emendandum, & numeris omnibus abſolvendum.

Et quod primum attinet, iam quae de LEONE VRBEVETANO *dici potuerunt, in praecedentis Voluminis prolegomenis expedivimus, in quibus tamen* pag LXXXVII. *illud* Prid. Non. Octobris *deletum velim, & eius loco repoſitum* IV. Non. Octobris, *quo die D. Franciſci Aſſiſiatis feſtum ab Eccleſia celebratur. Quae me quoque ad eius Chronica edenda impulerint, ibidem breviter expoſui: cur autem hoc Imperatorum Chronicon haud integrum typis excudendum curaverim, ſed Caeſarum, qui Carolum Magnum praeceſſerunt, hiſtoriam abſciderim, hoc eodem Volumine* pag. 12. *opportune pronuntiavi. Heic unum tantum addiderim, eſſe quosdam, qui exiſtiment, haec* LEONIS *Chro-*

Chronica in Italicam linguam ſaeculo XIV. *converſa fuiſſe, eiuſque translationis Codices MSS. alicubi adſervari; ſed quum mihi Codices illos conſulere, & rem diligenter examinare, hactenus non licuerit, ἐπέχω; atque interim Viri eruditiſſimi, qui mihi id adfirmavit, doctrinae, & iudicio, plurimum defero. Ceterum in Bibliotheca Riccardiana Italicam quamdam Chronici Pontificum & Imperatorum interpretationem, eamdem prope tribus diverſis Codicibus MSS. comprehenſam, quorum unus medio circiter* XIV. *ſaeculo ſcriptus videtur, offendas, quae Chronici* MARTINI POLONI *translatio eſt, a Florentino certe auctore, qui eodem tempore ac* LEO VRBEVETANVS *vixerit, elucubrata ac perfecta; et eius quidem memini ad* Chronicon Pontificum pag. 140. & 144. *Nam hic interpres, quum* MARTINI *Chronicon ultra annum* MCCLXXVII. *non producatur, illud uſque ad Clementem* V. *continuavit; quare per ea tempora floruiſſe eum oportet. Codicum iſtorum memoratam Martiniani Chronici interpretationem continentium primus antiquior notatur* Q. II. IV. *cuius primae paginae litterae fugientes ſunt & evanidae; & forte paginae nonnullae initio deſunt. Secundus Codex inſignitur his notis* Q. II. V. & *mutilus eſt atque imperfectus. Tertius tandem Codex eſt praenotatus* Q. II VI. & *hic quidem integer totum* MARTINI *Chronicon in Etruſcam lin-*

guam

guam converſum continet ; inſuper et hiſtoriae perbreves quaedam Feſulas, Florentiam, Piſas, Lucam, & Senam, attinentes in eo habentur. Huic LEONIS *Imperatorum Chronico ſeriem Imperatorum Occidentis a Carolo Magno uſque ad Carolum V. iuxta ſuccedentium temporum intervalla digeſtam, regni cuiuslibet annis, & imperii exordiis adnotatis, opportune praefiximus; ut huius Epitomes chronologicae praeſidio minus exactos* LEONIS *noſtri numeros emendare quis poſſit ; & nos cura eos tractim in operis decurſu corrigendi liberaremur. Praeter hoc* LEONIS *Chronicon, brevem etiam, & carptim contextam, Francorum hiſtoriam Tomus hic comprehendit, qua inſerta res geſtas Imperatorum Francicae originis, & Caroli Magni in primis, illuſtrare ſategimus. Eius quidem auctor eſt* IOANNES *quidam* AB INSULA, *de quo Scriptore, quae coniicere, & ſcribere poteram, ex tempeſtive* pag. 14. & 36. *commentatus ſum. Nec iniucundum fore exiſtimavi, ſi huiuſmodi commentariolum interſererem, et Lectorem ſtudioſum hac etiam varietatis illecebra detinerem: nec opuſculi brevitas ſtatim deſpicienda fuerit, quum neminem fugiat, viros adprime doctos commentationes huiuſmodi exiguas collegiſſe interdum, & diligenter exſcriptas publica luce donaviſſe, & ut alios praeteream,* P. LAMBECIUM Lib. II. Commentariorum de Bibliotheca Caeſarea Cap. V. *& in ſuo*

Mu-

Muſeo Italico, *atque alibi*, *virum longe celeberrimum* Io. MABILLONIUM. *Quin hiſtoriae utilitas non ex voluminis prolixitate*, *ſed ex deſcriptarum rerum dignitate*, *& pulcritudine*, *defluit*. *Iſthuc ipſum etiam in cauſſa fuit cur duas* Magiſtri ALANI QVADRIGARII *Epiſtolas*, *unam* pag. 38., 164. *alteram*, *ediderim*, *nec earum brevitatem contemſerim*; *quum ex his omnibus*, *licet anguſtis compendiariiſque lucubrationibus*, *cognitionum haud inutilium proventus legenti cuique accedere poſſit*. *De hoc* ALANO QVADRIGARIO *quaedam mature iam* pag. 37 *praelibavi*, *quibus mihi nunc adiiciendum reſtat*, *eius mentionem a Dom.* DE LA CROIX DV MAINE *in ſua* Bibliotheca *fieri*, *et his quidem verbis:* Alain Chartier Normand Secretaire des Rois de France Charles V. VI. & VII. poete Francois, hiſtorien, & orateur le plus eſtimè de ſon temps. Il a ecrit l' hiſtoire du Roi Charle VII. ſon maiſtre, imprimée a Paris. Il a ecrit le Breviaire des Nobles, le quel a etè imprimè du depuis ſous le nom de Monſieur d' Allancè Gentil-homme Angevin. Tous les Ouvres tant en vers qu' en proſe ont etè imprimées a Paris chez Galliot du Prè l'an 1526. & depuis chez Carrozet l'an 1583. par la diligence de Daniel Chartier d'Orleans, parent du ſusdit Chartier. *At quum ipſe memoratas Alani operum editiones*

evol-

evolvere nequiverim, nec adfirmare quoque poſſum utrum Epiſtolae hae, quas exhibui, alias editae fuerint, necne. Non enim mihi propoſui, ut ea omnia, quae illuſtrationis & ornamenti gratia meis ἀνεκδότοις attexo nunquam lucem publicam viderint: ſed id tantum quoad fieri poteſt mihi cordi eſſe, facile a quocumque intelligetur. Cetera vero, quae in hoc Volumine proferuntur, & quibus Leonis *Chronicon inſtruitur, illuſtratur, ornatur, Diplomata ſunt Imperatorum, & Principum, Epiſtolae variae, Edicta, Privilegia, & id genus alia vetuſta monumenta, quae lucis non parum tenebricoſae barbari aevi hiſtoriae foenerare poſſe videantur. Quae quidem omnia, ut planius exponi, & proclivius intelligi, & utilius evolvi, ac lectitari poſſent, hiſtoricam quamdam chronologicamque Synopſim rerum ab Imperatoribus, aliiſque Principibus, in Etruria geſtarum inſerui, & quamdam Italicae barbaris temporibus πολιτείας ſpeciem obtuli, atque praetendi. Haec latum veluti limitem in ſenticoſa rerum ſilva percommode agent, quo quis facile ac recta in eiuſmodi veterum inſtrumentorum intelligentiam deferatur. Inter anguſtos tamen rerum Etruſcarum fines ſubſtiti, quod antiqua monumenta, quae adfero, prope omnia eas attineant; quodque maius opus movere, & ampliorem provinciam ſuſcipere, quum Synopſin illam in medio typographici laboris curſu, & dum opus ſub*

prae-

praelo ferveret, propere ac praecipitanter concinnarem, iniqua ſpatia minime paterentur. Si vero minus copioſam illam, & minus abſolutam quis queritur, animo verſet, rogo, Synopſin me promiſiſſe, non commentarium; & perfecta & numeris omnibus abſoluta opera tardae morae, & meditationis maturae, & liberi otii, eſſe foetus. Viam mihi praemonſtraſse ſuffecerit, quam ineundo quis Etruſcam hiſtoriam locupletare, & perficere poſſit; & veluti caementa comparaſse nonnulla, quibus ingens ac magnificum aedificium olim, alia materie adgeſta & elaborata, conſtruatur: id quod unus ex parte, quantum ea tempora ferebant, quoad Florentinam hiſtoriam, SCIPIO AMMIRATUS *praeſtitiſſe videatur. Quamquam* δεύτεραι φροντίδες, *ſi quod feſtinatae a nobis commentationi vitium inrepſerat, illud corrigere potuerunt; & ſupplementa etiam quaedam, ne copia omnino deſideraretur, attexere: ideo enim ad huius Voluminis calcem Additamentum illud reieci, quo inſtructius hanc meam Spartam, atque elegantius, exornarem. Quid quod olim, ſi Deus faxit, graviori, ac prolixiori operi manus admovebo, & cum tam multorum Scriptorum, qui in dies ex abſtruſis, & ignobilibus latibulis eruti proferuntur in lucem, praeſidio adiutus; tum hominum, eruditionis & hiſtoriae amantium, ſingulari, quae mihi Archiva, et Bibliothecas, & Muſea, & quidquid latentium*

 mo-

monumentorum eſt, referet, humanitate ſuffultus, his quaſi per iocum iactis fundamentis ampliorem, atque operoſiorem, hiſtoriae molem ſuperſtruam? Culpam tandem heic unam deprecer neceſſe eſt, & in alios iure reiiciendam moneam, qui me invitum quaedam huic volumini p. 131. *de me intexere ſua malignitate calumniiſque coegerunt; & qualemcumque inſtituti mei, meorumque ſtudiorum commemorationem inſerere, et apud exteras gentes adprobationem, quum* TERTVLLIANVM, & HIERONYMVM *aemulatus, verecundia & modeſtia quam cauſsa periclitari mallem, adſtruere.*

Secundo vero docendum eſt, LEONIS VRBEVETANI *Chronicon Pontificum & Imperatorum Codice membranaceo Riccardianae Bibliothecae, qui notatur* L. II. XVII. *contineri, ut iam in prima huius Chronici parte monuimus; qui certe Codex ſub initium* XV. *ſaeculi, & non una quidem eademque manu exaratus fuiſſe videtur; Chronicon quippe Imperatorum diverſa manu ſcriptus eſt a Commodo Caeſare, & deinceps. Eo tamen Codice non hoc* LEONIS *opus tantum habetur, ſed alia a memoratis manu, initio ipſius Codicis, ſacri quidam ſermones, & haud profecto contemnendi, deſcripti ſunt; ad Evangelii* Miſſus eſt Angelus Gabriel, *Pſalmi* Benedixiſti Domine terram tuam, *& Lectionum Officii SS. Deiparae, expoſitionem. Deinde conſequitur Opuſculum*

lum diverſa pariter ab aliis manu conſcriptum, & in fine mutilum, quod ita inſcribitur: Incipit Opuſculum de Iuris caſibus Pariſiis compilatum, magno ſtudio, & diligenti inquiſitione probatis, in diverſis locis Iuris Canonici diſperſis, & diffuſe de his agitur. *Et ſunt veluti Inſtitutiones quaedam Iuris Pontificii, ſed breves, carptimque compilatae, & minus perfectae. Poſt hoc opuſculum ſuccedunt* Leonis *noſtri Chronica, in quorum fine verſus quidam* Magiſtri Michaelis Scoti de Florentia, *ut ſcribitur,* Sedulii, & Ovidii *leguntur, cum fabularum quarumdam explicatione, non omnino diſſimili ab ea, quam* Lucretius Lib. III. & Macrobius Lib. I. in Somnium Scipionis Cap. X. *tradunt, ubi de inferorum poenis iuxta Poetas ἀλληγορικῶς agitur. Poſtea Chronicon breviſſimum exſtat, quod hunc titulum praefert:* Cronica brevis & generalis ab origine Mundi; *& uſque ad Iulium Caeſarem deducitur. Hoc autem abſoluto, ſubeſt* Prophetia Sibillae, quae fuit tempore Priami, de Chriſto, in Imperiali ſcriptura, *ut quidem titulus habet. Deinceps, poſt alia quaedam pauca, Libellus exſtat in fine mutilus, cuius inſcriptio eſt:* In iſto Libello ſunt compilata, quae ſunt credenda, agenda, ſperanda; *& Libellus alius quidam ἀκέφαλος καὶ ἀτελὴς qui pluria complectitur, & primum; Tractatum quemdam exiguum in Geneſeos exor-*

 dium

dium, in quo Auctor ignotus, quum de Corporibus Angelorum iuxta Auguſtinum diſſeruiſſet, & dixiſſet quosdam arbitrari Auguſtinum vere in ea non fuiſſe ſententia, ſubdit: Vtrum iſtorum verum ſit divino relinquatur iudicio. *De creatione autem primi diei ita ſentit:* Primo ergo die illam materiam quatuor elementorum, ut ſupra dictum eſt, creavit, confuſam & permixtam; ſed poſtea elementa diviſit, & unicuique rei ſecundum genus ſuum propriam formam attribuit. *De luce autem haec ſcribit:* Facta eſt lux: lux, ideſt, corpus lucidum, quaſi nubes lucida. *De aquis vero, quae erant ſuper faciem abyſſi, ait:* Et credibile eſt, quod aquae in primordio ſui, multo ſubtiliores fuerint quam modo ſunt, & quaſi nebulae, &c. *deinde Codex Tractatum, ut inſcribitur*, S. Ambroſii Epiſcopi de Pace, & Tractatus S. Auguſtini de Poenitentia, De Concordia Fratrum, & De Arbore interdicti, *comprehendit. Poſtremum Collectionem quamdam ſententiarum ex iure canonico depromtarum complectitur, quarum initio quum de confeſſione agatur, ita ſcribitur:* Confeſſio duplex eſt; una fit Deo tantum, altera Deo, & hominibus. . . . . Confeſſio, quae fit Deo, peccata emundat; confeſſio, quae fit Sacerdotibus, oſtendit quomodo peccata mundentur; *quae quidem quo intellectu accipienda ſint alii viderint. De*

Co-

Codice Riccardiano, unde IOANNIS AB INSVLA *hiſtoriam, et* LANI QVADRIGARII *Epiſtolas eduximus, nihil aliud ultra ea, quae* pag. 15. *adnotavimus, dicendum ſupereſt, niſi eum quidem membranaceum eſſe, & notari* M. II. VIII. *Riccardianus quoque eſt Codex, ex quo Diplomata Henrici VI* pag. 193. *Othonis IV.* pagin. 208. *& Conradi II. Siciliae Regis* pagin. 269. *depromſimus; & quidem chartaceus, qui diſtinguitur nota* M. II. III. *In hoc Codice praeter memorata Diplomata, habentur, Pacta conventa ab anno* MCLXXIV. *et deinceps inter Piſanos, & Saladinum AEgypti regem, ſeu Soldanum, ut vocant, firmata: Sententia quaedam ab Henrico VII. contra Florentinos lata; Diploma Conradi, Marchionis Montis Ferrati filii, Piſanis conceſſum, & a* FERD. VGHELLIO *in Epiſcopis Piſanis editum: inſuper Epiſtolae Reip. Florentinae ab anno* MCCCLXXVI. *uſque ad annum* MCCCC. *quae quidem a* COLVCCIO SALVTATO, *qui ei a ſecretis erat, ſcriptae probabiliter fuerunt, et primam partem Codicis occupant. In fronte huius Codicis ſcriptum eſt:* Petri Criniti, & amicorum. *Sed et Innocentii IV. Epiſtola* pag. 221. *et Electio Conradi in Caeſarem* pag. 235. *et Clementis Pontificis Epiſtola contra Manfredum* pag. 240. *et ſupplex Genuenſium libellus cum Friderici reſponſo* pag. 255. *et S. Ludovici Franciae Regis Litterae, et ad eas Friderici reſponſio* pagin.

gin. 290 *ex eadem inſtructiſſima Bibliotheca eruta ſunt, Codexque, qui illa continet, membranaceus, ſaeculo XIV. eleganter quidem et ornate, ſed parum caſtigate et integre, ſcriptus eſt. Hic Codex notatur* S. III. XLVII, *et alia multa continet, quorum hic Catalogum ſubtexere, nec inutile, nec iniucundum fore ſperamus. Omnia quidem Italica ſunt, ſed in eorum, qui Italice neſciunt, gratiam titulos Latine convertimus, atque ita habent :* Saluſtius De coniuratione Catilinae, & De bello Iugurthino. Flori quaedam, ut videtur. Lucani Pharſalia. Marci Tullii Orationes pro M. Marcello, & Q. Ligario, & Deiotaro. Ethica Ariſtotelis. Secretum quod Ariſtoteles Alexandro miſit. Viſio S. Bernardi. Marci Tullii Rhetorica. Ioannis Apoſtoli Apocalypſis. Iacobi Epiſtola. Petri Apoſtoli Epiſtolae. Hiſtoria S. Silveſtri. Hiſtoria Apoſtolorum. Hiſtoria S. Thomae Apoſtoli. Evangelia quae per annum in Eccleſia leguntur. Albertani Tractatus moralis. Sententiae. Catonis Verſus. Friderici II. Epiſtola ad Italiae Principes, quum excommunicationis ſententia in eum lata fuiſſet. Eiusdem Epiſtola ad Regem Scotiae parilis argumenti. Eiusdem Epiſtola ex Syria Principibus miſſa, adverſus Pontificem Maximum. Eiusdem ad Gregorium IX. Epiſtola, poſtquam eum ſacris

in-

interdixerat. Epiſtola Papienſium ad Florentinos, qui Theſaurum Cardinalem ultimo ſupplicio adfecerant. Epiſtola Florentinorum ad Papienſes. Alexandri IV. Pontificis ad Ludovicum Galliae Regem Epiſtola conſolatoria in obitu filii Ludovici. *In fine autem id ſcriptum habetur:* Explicit hic auctoris opus finiſque laboris. Finito dito opus dominus Bertus de Franchis, a chi Dio li dia vita, e grandezza, e buono ſtato, alla. . . . . vita la ſca famiglia, &c. *Catalogus autem ille, quo nomina Piſanorum, qui in conflictu navali a Genuenſibus anno* MCCLXXXIV. *vel caeſi, vel capti ſunt*, pag. 285. *recenſentur, ipſe quoque ex eadem Bibliotheca prodit; & Codice quidem chartaceo, ſaeculo XV. ut videtur, ſcripto, qui inſignitur nota* S. II. IV. *continetur. In hoc vero Codice alia quoque Italice ſcripta continentur, hoc eſt:* Franciſci Iucundii ad Ludovicum Capponium Hiſtoria Florentina ab anno MCCCCXCIV. exordium ſumens. Ex Libris Nicolai Machiavellii excerpta. Nerei Capponii, Gini F. ad Senatum Venetum de foedere adverſus Philippum Mediolanenſem Ducem feriendo oratio, ex eodem Machiavellio. Nicolai Machiavellii De rebus Gallicis Commentarii. De Senogallia, & Vrbinate agro, quaedam. Anonymi Emporienſis Hiſtoria brevis Emporii. *Sed & Epiſtola illa Gregorii IX. quam ad* Chronicon

Pontificum pag. 254. *protulimus*, *eiuſdem Bibliothecae cimelium eſt*, *& habetur in Codice chartaceo ſaeculo XV exarato, qui praeter illam alia quoque multa pedeſtri oratione, atque Italice, ſcripta complectitur, & quorum catalogum heic ſubiiciemus a nobis Latine converſum, qui ita habet:* Ioannis Boccaccii Epiſtola ad Pinum De Roſſis. Epigramma Italicum, quod *Sonetto* vocant, in Fortunam. Io. Boccaccii Epiſtola ad Franciſcum Bardi. Ioannis a Cellis Monachi, Guidonis de Palatio, Aloiſii Marſilii, Epiſtolae amoeboeae XIX. M. Tullii Ciceronis Epiſtolae ad Q. Fratrem, Prooemium Orationis ad Caeſarem, & Oratio ad Caeſarem. Stephani Porcarii Orationes XV. Io. Boccaccii Epiſtola ad Franciſcum SS. Apoſtolorum Priorem. Differentia inter Hannibalem, Alexandrum Magnum, & Scipionem. Catilinae Oratio. M. Antonii Oratio. Bonaccurſii a Montemagno Opuſculum, in quo de nobilitate differitur. Diſcrimen inter Catonis, Caeſariſque, virtutes. Lentuli Epiſtola de Chriſto. Catonis Oratio ad Paulum AEmilium. Franciſci Philelphi Oratio habita, quum Dantem ediſſerere auſpicatus eſt, & aliae duae Orationes. Dantis Epiſtola ad Henricum Imperatorem. Franciſci Comitis a Cotignuola Epiſtola ad Nereum Capponium, & Coſmam Medicem. Iuſſa praeſcripta

pta

pta Legatis Florentinis ad Ladislaum Regem an. MCCCCVIII. miſſis. Legatorum eorumdem ad praedictum Regem Oratio. Differentia inter Philippum Macedoniae Regem, & Alexandrum filium. Ioannis Vbaldinii Azonis filii ad Reip. Florentinae XViros Epiſtola. Comitis Armeniaci ad Florentinos Epiſtola. Philippi Corſinii ad Regis Caroli Legatos Oratio. Eiusdem Oratio ad Reip. Florentinae Legatos, & Confoederatos. Calliſti III. Pont. Max. votum & iuramentum antequam Papa crearetur. *Tandem Diplomata omnia, quae alium Dominum habuiſſe non indicant, a Viro antiquitatis peritiſſimo, & de ea optime merito, & Theologo praeſtantiſſimo,* FVLG. NARDIO, *Abbate Vallumbroſano, alias quidem & ſaepius, ſed numquam ſatis, laudato & celebrato, mecum perhumaniter. communicata fuerunt; quaedam vero alia a nobiliſſimo, & ſpectatiſſimo Viro, & humanitate incredibili ornato,* GVIDONE *Comite Donoratici, ſeu Gherardeſcae, cuius gentis antiquitas, claritas, amplitudo, notior eſt, quam ut oporteat hic pluribus praedicare, mihi ex proprio Archivo ſuppeditata ſunt. Sed & Virum clariſſimum* MARIVM FLORIVM, *Advocatum Arretinum, ſua eruditione, humanitate, diligentia multum me & litterariam remp. iuviſſe profiteor, dum inſtrumenta quaedam antiqua, &* BONAMICI *hiſtori-*

ci

ci Arretini Adverſaria MSS. mihi ſuffecit. Multum quoque debeo Viro illuſtriſſimo, et doctiſſimo, Rob. Gherardio, *Patricio Florentino, et Academiae Florentinae Conſuli ampliſſimo, qui veteres archivi ſui membranas, atque inſtrumenta, ut evolverem luſtraremque permiſit. Sed quid de* Fid. Soldanio, *Magiſtro & Monacho Vallumbroſano eruditiſſimo, mihique amiciſſimo, dicam, qui divites mihi veterum monumentorum incredibili ſedulitate a ſe congeſtos theſauros, et aperuit lubenter, et obtulit humaniter, & communicavit liberaliter? Eos tamen imminuere mihi religio fuit, quum ſciam ab ipſo quamprimum innumera illa Diplomata, Inſtrumenta, et monumenta alia, a ſe, dum Vallumbroſanae Congregationis archiva non tam rimatur, quam laudabiliter populatur, collecta, in ſua utiliſſima Monaſterii Paſſinianenſis hiſtoria publici iuris facturum. Superfluum autem hic videatur illuſtriſſimum, et reverendiſſimum Eccleſiae Florentinae Canonicum,* Gab. Riccardium, *Marchionem, laudibus ferre pro merito, quum tam multa, et ampla, et copioſa, ex Riccardiana Bibliotheca me eruiſſe ſtatim profeſſus ſim; ſed quum ipſe etiam ſuam privatam Bibliothecam mihi munificenter aperuerit, vetereſque membranas, et inſtrumenta, quorum copiam non contemnendam poſſidet, ut inſpicerem lectitaremque permiſerit; iterum Viri adeo conſpicui, probi, eruditi, mentionem*

fa-

facere, mea erga illum obſervantia, et gratus animus, compulit.

Tandem quum fieri non poſſit, quin hominibus aliquid molientibus, etſi curae, diligentiae, ſedulitati, minime parcant, aliquando ſomnus obrepat, et, ne dii videantur, labantur humanitus: quaedam mihi heic corrigenda et caſtiganda ſunt, quae aut opus feſtinatum, aut examen paulo remiſſius, aut incuria quaedam involuntaria, cum in Pontificum, tum in Imperatorum Chronico, dum nonnulla adnotarem, virga cenſoria digna reliquere. Itaque in Chron. Pontificum pag. 72. *Scholium tertium ad* Melchiadem *delendum eſt, quum minime congruat, et a* LEONE *noſtro de die Iovis agatur, a* NAT. *vero* ALEXANDRO *de feriae quartae ieiunio.* Pag. 121. Schol. 1. ad Leonem II. *an ea quae de cantu* Agnus Dei *in* Leone II. & Sergio I. *a* LEONE *noſtro Pontificale vetus et Martinum Polonum ſequuto dicuntur conciliari poſſint, et quomodo, vide apud* B. GAVANTVM De Sacr. Eccleſ. Rit. C. BARONIVM ad annum DCCI. I. MABILLON. Comment. in Ordin. Roman. §. VIII. Pag. 322. in Adnotat. ad Vrbanum, *quod de Friderici, et Manfredi damnis Eccleſiae illatis dictum eſt, quum ibi de anno* MCCLVI. *agatur, ita accipi debet, ut Fridericus, etſi eo tempore mortuus eſſet, tamen ſubſequentium etiam moleſtiarum cauſſa intelligatur; ne anachroniſmi iniuria arguamur.*

mur. In Chronico *autem hoc* Imperatorum pagin. 49. *animadvertendum ad antiquum illud monumentum, quo initia Monaſterii S. Trinitatis in Alpe narrantur, nos enunciaſſe illud* primi, *quo Otho I. deſignatur, poſteriori manu ſcriptum deprehendi, Viri eruditiſſimi iudicio adſenſos; ſed quum alii Viri pariter docti aliter cenſeant, et eadem manu ſcriptum adfirment, rem in medium relinquimus, nec hanc litem noſtram facimus*. Pag. *vero* 51. *memoratum inſtrumentum* ἀρχέτυπον *in Archivo Vallisumbroſae adſervari diximus, ſed falſo, neſcio quomodo hallucinati; quum vere apud alias laudatum* Fid. Soldanivm *exſiſtat*. Pag. 55. *inutiliter ad Abbatem doctiſſimum* Gvid. Grandivm, & Fidel. Soldanivm, *memoratum, eorumque opera certa, Lectorem amandamus; quum illi de Diplomate, alio anno ab Henrico II. conceſſo, in ſuis controverſiis diſertiſſime agant*. Pag. 154. *vere me fefellit memoria: nam in Othonis III. Diplomate, quod in* Suppl. Synopſ. ad an. 990. pag. 296. *laudatur, Epiſcopis pariter quaedam inhibentur, & in aliis quoque*. Pag. 205. *Henrici VI. Diploma, quo Paſſiniani Monaſterium in clientelam recipit, non apud Lunam, ſed apud Lutram, datum eſt; & nos* ἀντίγραφον *parum caſtigatum decepit*. Pag. 300. *inſtrumentum donationis ab Hugone Comite Monaſterio S. Petri in Palatiolo, factae, uti potius quam*

Pa-

Palatica legendum eſt, corruptum admodum, & mutilum eſt; ſed tamen quale erat ἀπόγραφον mihi a Comite Gherardeſcae commodatum. Ceterum pag. 303. *poſt* offertione, *ubi lacuna punctis diſtinguitur, ita ſupplendum eſt:* Manutentio noverimus, aut retolli, vel ſubtrahi quaeſierimus nos, vel homo ille cui nos eas dediſſemus, aut dederimus per quolibet ingenio, & a pars ipſius Eccleſiae e M. &c. *quae quidem mihi ſuppeditavit vir mihi ſaepe memorandus* FID. SOLDANIVS, *qui quoniam hoc inſtrumentum a ſe ipſo αὐτογράφῳ uſo reſtitutum brevi editurus eſt, alia ſupplere & reſtituere ſuperſedeo; quum ipſae etiam temporis anguſtiae, & Archivorum diſtantia, id minime patiantur. Sed iam aliquid de additis huic Volumini Prolegomenis, dicendum eſt. Series quidem chronologica Caeſarum, qualem praediximus, huic Chronico praefixa eſt; quae in numeris aetatibuſque deſignandis ab aliis diverſa forte deprehendatur; ſed non ſtatim id vitio vertendum eſt. Nam exactiores calculos ſequi conatus ſum; praemiſſo tot inter ſe diſcordantium Chronologorum examine. Et haec quidem de illis dicta ſunto. Nunc aliquid obſervandum & caſtigandum in Prologo Galeato, qui Chronicon Pontificum antecedit. In eo* pag. XXVI. *ita ſcriptum eſt:* Num. XVI. Chriſtodulus Monachus, ſive Ioannes Cantacuzenus, adverſus Palamae errores. Tractatus iuſtae

mo-

Digitized by Google

molis in Codice chartaceo, & a nemine, quod, ſciam memoratus; & quem fallitur Holſtenius dum çenſet, eumdem eſſe cum ingenti volumine, quod exſtat Pluteo VIII. num. VIII. ipſum quoquè *ἀνέκδοτον*, & eiuſdem Chriſtoduli λόγους ἀντιῤῥητικοὺς adverſus Palamam, Barlaamum, & Acyndinum continens, &c. *Haec quidem ita ſcripta fuerunt, ut Ioannes Cantacuzenus, vel ſemper ab erroribus Palamae abhorruiſſe, vel reſipuiſſe tandem, atque eos deteſtatus fuiſſe, videatur. At neutrum verum eſt, niſi in maxima luce nihil video. Ipſe quidem* pag. LXXXI. *me ipſum, &* LVCAM HOLSTENIVM, *a quo deceptus fueram, ſero prudens aliquatenus caſtigaveram; ſed inter illius ſcriptionis anguſtias haud omnia emendare licuit: id quod modo exſequuturus ſum. Ioannes igitur Cantacuzenus Imperator, quum imperatoria dignitate ſe abdicaſſet, una cum veſte nomen mutavit, Monachumque profeſſus, Ioaſaph Chriſtodulus vocatus eſt.* H. SPONDANVS ad annum 1355. NAT. ALEXANDER Tom. VII. Hiſtor. Eccleſiaſt. H. WARTHONVS Append. ad Caveum, C. OVDINVS Tom. III. De Script. Eccleſ. Io. ALBERT. FABRICIVS Bibliothec. Graec. Tom. VI. *& ipſe* CANTACVZENVS, *teſtis omni exceptione maior*, Dialogorum MSS. adverſus Iudaeos, *qui in Bibliotheca Riccardiana adſervantur, primo. Ait enim:* Τοῦ

γὰρ

γὰρ εὐσεβεστάτου καὶ φιλοχρίστου βασιλέως καὶ αὐτοκράτορος Ῥωμαίων Ἰωάννου τοῦ Κατακουζηνοῦ, τοῦ διὰ τοῦ θείου καὶ μοναχικοῦ σχήματος μετονομασθέντος Ἰοάσαφ μοναχοῦ τῇ πελοποννήσῳ συμβὰν οὕτω, ἐνδιατρίβοντος, κτλ. *Quum vero eius temporibus Gregorii Palamae errores Graecam Eccleſiam infeſtam haberent, hiſce Ioannes Cantacuzenus perpetuo favit.* NAT. ALEXANDER Tom. VII. Hiſtor. Eccleſiaſtic. Saecul. XIII. & XIV. Cap. III. Art. XIV. GRAVESONIVS Tom. V. Hiſtor. Eccleſiaſt. H. WARTHONVS in Gregorio Palama. C. Oudinus *in* Gregorio Acindyno, *& in* Gregorio Palama. *Palamitarum errores fuere, inter Dei naturam, et eius actus, quos attributa vocamus, differentiam inducere; & lumen, quo Chriſtus in monte transfiguratus coruſcavit, increatum, atque ipſam divinam eſſentiam, adſerere, ut apud laudatos* NAT. ALEXANDRVM, GRAVESONIVM, WARTHONVM, & DIONYS. PETAVIVM *in primis* Lib. I. Theologicorum Dogm. Cap. XIII. *videre eſt; quibus erroribus Monachi Heſychaſtae montis Athi initium dedere. Eos igitur ob hanc rem Maſſalianiſmi accuſavit Barlaamus Monachus Calaber; & Gregorius Palamas, qui Theſſalonicenſis Archiepiſcopus deſignatus fuit, eorumdem defenſionem ſuſcepit. Hinc anno* MCCCXLI. *Synodus Conſtantinopoli coacta eſt, cui praeſedit Andronicus Pa-*

Palaeologus & Ioannes eius filius, ut narrat NILVS CABASILAS *Nicaeae Metropolita in* Synopſi Novem Conciliorum, *& cum eis praeſedit Ioannes Calecas Patriarcha CP. & plures aliae Synodi annis inſequentibus habitae ſunt, de quibus agit* PETAVIVS Lib. I. Theolog. Dogm. Cap. XII. *&* IACOB PONTANVS in Adnotat. ad Cantacuzeni Hiſtor. Lib. II. Cap. 40. *quibus favente potiſſimum Ioanne Cantacuzeno, dogma* Palamae *perverſum ab Epiſcopis ignaris comprobatum eſt, teſtibus* αὐτόπταις Nicephoro Gregora Lib. XI. Hiſtor. Cap. penult. & Ioanne Cantacuzeno Lib II. Hiſtor. Capp. XXXIX. & XL. *Inde turbae in Eccleſia Graeca excitatae, & Theologi inter ſe diſſidentes, quorum alii a* Barlaami, *alii a* Palamae *partibus ſtabant. Inter illos fuere* Gregorius Acindynus, Nicephorus Gregoras, Ioannes Cypariſſiotes, Demetrius Cydonius, Ioannes Calecas, *licet primum contrarius fuerit*, Manuel Calecas, Paulus *Patriarcha Conſtantinopolitanus; inter hos vero* Philotheus *Patriarcha* CP. Ioannes Cantacuzenus, Ioſephus Bryennius, *&* Iſidorus *pariter Patriarcha* CP. Nilus Cabaſilas *Nicaeae Metropolita, &* Gregorius *Theſſalonicenſis Archiepiſcopus. Quamvis vero Ioannes Calecas in memorata Synodo contra Barlaamum & Acindynum praeſediſſet, eorumque condemnationi ſua manu ſub-*

ſcri-

ſcripſiſſet, poſtea tamen in alia Synodo, anno Chriſti MCCCXLVII. *celebrata, etiam ipſe tamquam eorum ſectator & defenſor, condemnatus & exauctoratus eſt*, IOANNE CANTACVZENO *Auctore* Lib IV. Cap. XXIII. *Itaque Acta Synodi illius anno* MCCCXLI. *coactae, quae* Tomus Τόμος *vulgo adpellantur, MSS. quidem in Bibliotheca Caeſarea adſervantur, teſte* LAMBECIO Lib. VI Commentar. *& adſervantur etiam in Bibliotheca Laurentiana, ut inferius patebit. Circa vero Ioannis Calecae condemnationem exſtat in eadem Bibliotheca Caeſarea Epiſtola ſeptem Archiepiſcoporum ad Annam Imperatricem CP. Andronici II uxorem viduam, quae anno* MCCCLXVI *data eſt, &* Ἀναφορὰ *inſcribitur, & in qua Ioannem Calecam, tamquam Barlaami, & Acindyni, ſectatorem, & ob alia crimina, excommunicandum, & exauctorandum cenſent; cuius quidem Epiſtolae accuſatoriae meminit ipſe* IOANNES CANTACVZENVS Lib III. Cap. XCII. *licet paulo obſcurius Sed de Ioannis Calecae fortuna conſulendus* OVDINVS *in* Ioanne Caleca. *Attamen vel oportet aliquam Synodum etiam a Barlaami ſectatoribus contra Palamam, & eius defenſorem Gregorium Theſſalonicenſem, coactam fuiſſe, quam* CHRISTODVLVS τὴν τοῦ σατανᾶ συναγωγὴν, Satanae ſynagogam *adpellat; vel certe ita Barlaami ſequaces ac fautores collectivo nomine vocat, ut inferius liquebit, quum forte ſimul omnes libros compo-*

poſuiſſent quatuor τῶν τοῦ Παλαμᾶ παραβάσεων Palamae Tranſgreſſionum ; *ſub quo titulo commentarios etiam elucubravit* IOANNES CYPARISSIOTA. *Quatuor illis libris* , *&* *orationibus*, *ſuas* ἀντιῤῥήσεις CHRISTODVLVS, *eos pro virili confutans*, *oppoſuit & adpoſuit* , *atque hi ſunt ii* ἀντιῤῥητικοὶ λόγοι , *quibus de agimus*, *& quos adverſus Barlaami & Acindyni fautores* , *& Tomi Synodici impugnatores*, *ille conſcripſit* , *quique in Bibliotheca Laurentiana adſervantur* . *Erravit igitur* HOLSTENIVS *dum hoc Opus adverſus Palamam ſcriptum adſeruit*, *ut iam monuimus*. *Vt autem clarius* L. HOLSTENII , *viri alioquin doctiſſimi*, *error intelligatur* , *operum*, *quae Codice VIII. Plutei VIII. continentur* , *catalogum* , *ad cuius intelligentiam Palamicam hanc hiſtoriam praemiſi* , *heic exhibeo*, *ſed prius ipſis Holſteniani indicis verbis productis :* Scamno V Chriſtodulus Monachus, ſive Ioannes Cantacuzenus adverſus haereſes Palamae. Habetur aliud exemplar Scamno VIII. num. VIII. *Haec ille*. *Itaque in memorati Codicis tegumentis ita inſcriptum habetur :* Τόμος γεγονὼς παρὰ τοῦ Πατριάρχου Ἰωάννου καὶ τῆς συνόδου κατὰ τῆς τοῦ Βαρλαὰμ κακοδοξίας. Tomus factus a Patriarcha Ioanne & Synodo contra falſam opinionem Barlaam. *In interiori autem integumenti facie :* Chriſtodulus Monachus contra haereſim Barlaam, contra Acindynum ,

contra Palamam. *Haec autem ipſo in Volumine habentur:* Προίμιον εἰς τὺς παρὰ τοῦ μοναχοῦ Χριςοδούλου συγγραφέντας λόγους κατὰ τῆς τοῦ Βαρλαὰμ καὶ Ἀκινδύνου αἱρέσεως. Τόμος γεγονὼς παρὰ τοῦ πατριάρχου Ἰωάννου καὶ τῆς συνόδου κατὰ τῆς τοῦ Βαρλαὰμ κακοδοξίας, προκαθημένου τοῦ Βασιλέως Ἀνδρονίκου, τοῦ δευτέρου Παλαιολόγου, ὁτίοτε τῷ βίῳ περιῆν, ἔτι τε τῶν λαμπροτάτων ἀρχόντων, καὶ τῆς συγκλήτου. Ἀναφορὰ ἀρχιερέων εἰς τὴν Βασιλίδα Ἄνναν τὴν Παλαιολογίναν κατὰ τοῦ χρηματίσαντος Πατριάρχου Ἰωάννου τοῦ Καλέκα. Ὁμολογία τῦ Ἐφέσυ. Λόγοι ἀντιῤῥητικοὶ παρὰ Χριςοδύλυ μοναχοῦ γραφέντες, τοὺς τῆς τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίας, ὁμοῦ δὲ καὶ τοῦ ἁγιωτάτου Πατριάρχυ Φιλοθέου, καὶ τοῦ ἱερωτάτου μητροπολίτου Θεσσαλονικῆς τοῦ Παλαμᾶ· σὺν αὐτοῖς δὲ, καὶ τοῦ κατὰ τῆς τοῦ Βαρλαὰμ καὶ Ἀκινδύνου αἱρέσεως γεγονότος τόμου παρὰ τῆς θείας συνόδου κατατρέχοντας, ἀπελέγχοντες, καθ' ἕκαςον τῶν ἐναντίων κεφαλαῖον ἐκτιθέμενοι· καὶ τὴν ἀνασκευὴν εὐθὺς ἀντεπάγοντες. *Hoc eſt:* Prooemium in Libros a Chriſtodulo Monacho contra Barlaami, & Acindyni haereſes ſcriptos. Tomus a Patriarcha Ioanne, & Synodo, contra pravam Barlaami opinionem perfectus, praeſidente Imperatore Andronico II. Palaeologo, quoad vixit; & inſuper clariſſimis Principibus;

& Senatu. Relatio Pontificum ad Annam Palaeologam Auguſtam adverſus Ioannem Calecam vocatum Patriarcham. Confeſſio Epheſi. Libri, ſeu Orationes, Antirrheticae a Chriſtodulo Monacho ſcriptae, redarguentes eos, qui inſurgunt contra Dei Eccleſiam, ſimul autem contra ſanctiſſimum Patriarcham Philotheum, & ſacratiſſimum Metropolitam Theſſalonicae Palamam; cum ipſis vero, etiam contra Tomum a divina Synodo adverſus Barlaami & Acindyni haereſin procuſum; qui ad ſingula eorum, quae ex adverſo dicuntur, capita expoſiti, e regione ſtatim, refutationem inducunt. *Deinde ſequitur Libri I. argumentum atque proſpectus, & capitum catalogus, quae primo Libro continentur. Mox vero:* Βιβλίον πονηθὲν κατὰ τοῦ Θεσσαλονίκης Γρηγορίου παρὰ τῆς τοῦ σατανᾶ συναγωγῆς. Liber contra Gregorium Theſſalonicae Archiepiſcopum a Synagoga Satanae elaboratus. Τῶν τοῦ Παλαμᾶ παραβάσεων λόγος πρῶτος. κεφαλαῖον α´. *Inde argumentum capitis legitur, cui abſoluto* ἀντίῤῥησις *ſubiicitur, hoc titulo:* Ἀντίῤῥησις Χριστοδούλου Μοναχοῦ. *Quod quidem non fit aliis capitibus librorum, qui quatuor ſunt, ſed cuique* ἀντιῤῥήσει *deinde adſcribitur tantum in margine* Χριστόδουλος. *Quilibet vero liber in plures* λόγους *dividitur. In fine autem habentur verſus quidam in*

Ioan-

Ioannis Cantacuzeni laudem deducti, & ſunt qui ſequuntur

Ο πρὶν καθαιρῶν ὑπεναντίους ξίφει
Καὶ πάντας ἕλκων ὑπὸ δεσμὸν δουλίας,
Εὐβουλίαις γνώμαις τε καὶ στρατηγίαις,
Σύνεδρος ὢν κρατοῦντι καὶ αὐτοκράτωρ,
Νῦν ἦλθε σὺν λόγῳ κραταιῷ καὶ πόνῳ,
Θεοῦ κινοῦντος αὐτὸν, ᾧ ζῆ καὶ γράφει
Βάλλων τρέπων φάλαγγας ἐκθέσεων νέων
Κακῶς φρονούντων κτίσμα, φῶς τῆς τριά-
δος.
Δώροις, λόγοις, ἔργοις τε καὶ εὐποιίαις,
Α῎παν γένος βρότειον εὖ καθὼς ἔδει
Τρέφων, ἰθύνων σὺν θεῷ ποδηγέτῃ,
Ζωὴν παρεῖχες τὴν κάτω τὴν γηίνην,
Η῎δη δὲ ταύτην παρίδων ὡς ἀγχίνους
Ζητῶν τὰ θεῖα οὗ ποθεῖς προσορμίσαι
Ψυχῶν ὁδηγὸς νῦν ἄνω φαίνῃ ξένος
Τούτοις κρατίστε τοῖς λόγοις τοῖς πανσό-
φοις.
Ε῎λαβε πρὶν ὁ Ἰσραὴλ καινὰς πλάκας
Αἳ πᾶσιν ὑπῆρχον νόμοστε καὶ βάσις
Λαλοῦντος εὐχαῖς Μώσεως ταῖς κρυφίαις
Ο῎ρους ἄνω σιγᾷ θεῷ. θαῦμα ξένον
Ο῎ρει Θαβὼρ καὶ σοῦ σταθέντος νῷ, μέσον,
Ε῍ν ᾧ θεὸς θηλήσας ἀστράπτει ξένως,
Ε῍ν ᾧ μυήσας πῶς ἄναρχον ὡράθη,
Λαμβάνομεν ταύτην βίβλον, ἄλλας πλάκας
Η῎κουσας ἤκουσας ἔτι πολλὰ πάλαι
Νικῶν, διδοὺς, εὐεργετῶν, τὰ σὰ φίλα

Πάντα τε πράττων, ἃ Θεῷ φίλον βλέπειν,
Ψυχῇ μεγάλῃ καὶ τρόποις χρηστοῖς πάνυ,
Οὐ μεῖον εἰς ἔπειτ᾽ ἀκούσεις πλειστάκις,
Εὐχαῖς, χάριν τούτων ἃ γράφεις ἐκ πόθου
Ἐν τῇδε τῇ βίβλῳ τῇ κεχαριτωμένῃ,
Βασιλέων ἄριστε, δόξα σοῦ γένους.

Qui prius interficiebat adverſarios gladio,
Et omnes trahebat in vinculum ſervitutis,
Rectis conſiliis, ſententiiſque, & praeturis,
Confeſſor quum eſſet imperanti, & Imperator,
Nunc venit cum oratione potenti, & labore,
Deo movente ipſum, cui vivit & ſcribit,
Percutiens, vertens, phalanges expoſitionum novarum
Eorum qui male cenſent creaturam, lucem Trinitatis.
Donis, verbis, operibuſque, & beneficiis,
Omne genus mortale bene, prout oportebat,
Nutriens, dirigens Deo duce,
Vitam praeſtabas infimam, terrenam;
Iam vero hanc contemnens ut prudens
Quaerens divina, quo cupis adpellere

Ani-

Animarum dux nunc ſurſum adpares peregrinus
His, Optime, ſermonibus omnino ſapientibus.
Accepit prius Iſrael novas tabulas,
Quae omnibus erant lex & baſis,
Loquente precibus Moſe occultis
Supra montem Sina Deo. Miraculum inſolitum,
In monte Thabor etiam te ſtante mente, o Imperator,
In quo Deus, quum voluit, fulgurat mirabiliter,
In quo, quum initiavit, mire quod principio caret viſum eſt,
Accipimus hunc librum, alias tabulas.
Audiſti, audiſti, adhuc multa olim
Vincens, dans, benefaciens, tua grata
Omniaque agens, quae Deo iucundum eſt ſpectare,
Anima magna, & moribus bonis omnino;
Non minus deinceps audies quamplurimum
Votis: gratia horum, quae ſcribis ex deſiderio
In hoc libro gratioſo,
Imperatorum optime, gloria tui generis.

Quo vero pateat, etiam in argumento alterius Codicis, *qui Pluteo V. exſtat, & num. XVI. notatur, tradendo* HOLSTENIUM *falſum fuiſſe, quod titulum Codicis tegumentis inſcriptum, reliquo examine omiſſo, ſequutus ſit, animadvertendum in memorato Codice praeter illam nudam & extimam inſcriptionem ab oſcitanti quodam additam, nullum indicium exſiſtere, ex quo quis inferat, Opera, quae Codice illo comprehenduntur, eſſe* Chriſtoduli Monachi, *ſeu* Ioannis Cantacuzeni, *foetum. Deinde certum & exploratum eſt Cantacuzenum Palamicae ſectae fautorem fuiſſe; cur igitur illum eiusdem ſectae impugnatorem adſerere? Inſuper, licet in fronte operis inſcriptio quaedam prope deleta fuerit, tamen litterarum veſtigia* Ioannis *potius* Cypariſſiotae *nomen praeſeferunt, cui quidem haec opera vindicare, nullum abſurdum; quum hic Barlaami partes ſemper, ac ſtrenue, tutatus ſit, & tam multa adverſus Palamam ſcripſerit, ut apud* LABBEUM, VARTHONUM, OUDINUM, FABRICIUM, & NAT. ALEXANDRUM, *videre eſt. Quin, teſte,* LABBEO *in* Nova Bibliotheca MSS Codicum, *Libri V.* Demetrii Cydonii *adverſus Palamam MSS. in Regia Bibliotheca Pariſiis exſtant, quos* OUDINUM *ait* Ioanni Cypariſſiotae *a quibusdam attribui. Sed & hi quinque libri ſunt ſeu λόγοι ἀντιῤῥητικοὶ, ut inſcribuntur, quibus* V. *Palamitarum Tractatus confutantur & evertuntur.*

tur; totaque controverſia circa perperam inductam Divinitatis, & eius actuum, differentiam agitatur. Sed cuiuslibet Auctoris ii ſint, certe eos Chriſtoduli *opus eſſe, nulla ratione, & temere, adſeritur. Quod ut liquidius conſtet, exactam huius Codicis hiſtoriam ſubiicimus. Pluteo V Codex XVI ſcriptus ſaec. XIV. Inſcriptio tegumenti:* Χριστοδούλου λόγος εἰς παλαμᾶν αἱρετικόν. Chriſtoduli ſermo contra Palamam haereticum. *In fronte operis* Ιω. Κυπαρισσιότου τῶν ..... πόνος. *Deſunt initio argumenta primi* λόγου *(nam totum opus in quinque* λόγους ἀντιῤῥητικοὺς *adverſus quinque Palamitarum* κατασκευὰς, *ſeu Tractatus, & Adparatus, diſtribuitur) & capitum, quae eo continentur; quae quidem aliis quatuor* Sermonibus *praemittuntur. Incipit:* Ἡ μὲν ἀρχὴ τοῦ λόγου, πολλήν τινα τὴν ἐπαγγελίαν προτίθεται, *&c. & novem capita comprehendit. Argumentum vero ſecundi Sermonis ita habet:* Πρὸς τὴν δευτέραν κατασκευὴν τοῦ λόγου, ὅτι πλείονες ἄκτιστοι φύσεις ἐπὶ θεοῦ. Ἀντιῤῥητικὸς, περὶ τοῦ μίαν εἶναι καὶ μόνην φύσιν ἄκτιστον ἐπὶ θεοῦ. *Deinde argumenta novem capitum, quae hoc* λόγῳ *continentur, ſubduntur.* Πρὸς τὴν τρίτην κατασκευὴν τοῦ λόγου, ὅτι διαφέρουσι κατ᾽ ἀντίφασιν αἱ δύο φύσεις τοῦ θεοῦ, ἡ κοινὴ δηλαδὴ οὐσία, καὶ ἡ κατὰ ὑπόστασιν, ἂν εὗρε, θεία οὐσία, ἀντιῤῥητικός. *Mox ſequuntur argumen-*

menta capitum decem. Πρὸς τὴν τετάρτην κατασκευὴν τοῦ λόγου τῆς διαφορᾶς καθ' ἣν διαφέρει ἡ τρίτη φύσις τοῦ Θεοῦ, ἤτε ἓν ἦν ἔμφυτος καὶ ὑπερούσιος δύναμις καὶ ἐνέργεια αὐτοῦ, τῆς τε κοινῆς καὶ πρώτης φύσεως αὐτοῦ, καὶ τῆς καθ' ὑπόστασιν δευτέρας αὐτοῦ, ἀντιρρητικὸς τέταρτος. Περὶ τοῦ ταῦτον εἶναι, καὶ ἓν, καὶ ἀδιαίρετον τὴν ἔμφυτον καὶ ὑπέρθεον δύναμιν καὶ ἐνέργειαν τοῦ Θεῦ τῇ ἑαυτοῦ οὐσίᾳ. *Deinde ſequuntur argumenta capitum XI* Πρὸς τὴν πέμπτην κατασκευὴν τοῦ λόγου ὅπως ἡ τετάρτη φύσις τοῦ Θεοῦ περιληπτικὴ τῶν πολλῶν ἀκτίςων, καὶ τῶν ἐν αὐτῇ διαφόρων ἑαυτῆς ἐςι φύσεων, ἀντίρρητικὸς πέμπτος. Περὶ τοῦ ὅτι μόνας ἡμῖν καὶ τριὰς τὸ λατρευόμενόν ἐςιν ἄνωθεν, οὐκέτι δὲ μετ' αὐτὴν καὶ πλῆθος ἀνεξαρίθμητον ἀκτίςων. *XII. capita complectitur. Deinde alia manu*, τοῦ αὐτοῦ. *Sermo in tres partes diviſus contra Palamitas, qui incipit:* Ἀπὸ τίνος εὐαγγελίου ἢ γραφῆς τοῦτο λαβόντες, ὦ νῦν πάροντες, πιςεύειν εἰς διαφορὰν ὐσίας καὶ θείας ἐνεργείας παρειλήφατε κτλ. *Deinde eadem manu, qua quinque* λόγοι *ſcripti fuere, rurſum in fronte ſcribitur;* τῦ αὐτῦ, *& plures hymni in Dei Verbum ſequuntur, quorum primus inſcribitur:* ἐκ τῶν περὶ τῆς ὕλης λόγων, ὕμνος εἰς τὸν τῦ Θεοῦ λόγον. *Initium*, εὔλογον μὲν ἂν ἦν. *Secundus:* ἐκ τῶν περὶ τῆς ςερήσεως λόγων, ὕμνος εἰς τὸν τῦ

Θεοῦ

θεοῦ λόγον. *Initium*, Ἀλλ' ἡ σὴ δημιουργία κύριε. *Tertius* ἐκ τῶν περὶ τοῦ ἐνύλȣ εἰδ... λόγων, ὕμνος εἰς τὸν τοῦ θεοῦ λόγον. *Initium*, Τί δ' ὦ λόγε θεοῦ. *Quartus:* ἐκ τῶν τῆς κινήσεως λόγων, ὕμνος εἰς τὸν τοῦ θεοῦ λόγον. *Initium*, Ἀρχὴν δ' εἶναι κινήσεως καὶ ἠρεμίας τὴν φύσιν. *Quintus*: ἐκ τῶν περὶ τῶν φυσικῶν ἕξεων λόγων ὕμνος εἰς τὸν τȣ̃ θεȣ̃ λόγον. *Initium*, Τȣ̃τον τὸν τρόπον τῆς κινήσεως. *Sextus*: ἐκ τῶν τȣ̃ τόπου λόγων, ὕμνος εἰς τὸν τοῦ θεοῦ λόγον. *Initium*, Αὐτόθεν οὐκοῦν μετὰ τὴν τῶν φυσικῶν ἕξεων θεωρίαν. *Septimus*: ἐκ τῶν τοῦ χρόνου λόγων, ὕμνος εἰς τὸν τȣ̃ θεοῦ λόγον. *Initium*, Μετὰ τὴν τοῦ τόπου θεωρίαν. *En igitur quomodo corrigenda ſunt ea, quae in Prologo Galeato de Ioanne Cantacuzeno* Holſtenium *&* Oudinum *ab Holſtenio, ut videtur, deceptum, ſequutus perperam enuntiavi: quomodo etiam caſtiganda, quae eumdem errorem errans ad* Par. I. Epiſtolar. Michael. Glycae Ep. III. pag. 201. *de Ioanne Cantacuzeno Palamae impugnatore minus vere adfirmavi, melius certe rem hanc illuſtraturus, ſi* Combefiſii Auctarium *conſulere licuiſſet, quod Florentiae facere non potui. Ecce quoque ut mea, ubi me lapſum deprehendo, retracto lubenter & corrigo; ne quis credat,* ἀναμαρτησίαν *Stoicorum mihi impudenter adſerere, ex eo praecipue ductus, quod cenſuras, quibus laudatam Glycae Epiſtolarum partem* Ang. Mar. Riccius, *Graecarum lit-*

te-

terarum in Academia Florentina Profeſſor vexaverat , ſcripta adverſus eum diſſertatione diluerim ; ſi enim illud feci , ingenii excolendi , atque in Critice exercendi gratia feci tantum , non odio aliquo & indignatione in Virum eruditum , & amicum , collegamque humaniſſimum , impulſus , id quod latius inferius diſerte & candide teſtatus ſum .

Digitized by Google

CATALOGVS EORVM

Qui nobiſcum ſocietatem inierunt, continuatur & augetur.

FERRARIAE.

Barotti. Perilluſtr. D. Ioannes Andreas I. V. Doctor.

FICECLI.

Caſini. Adm. Rev. Antonius Philippus.

FLORENTIAE.

Baci. Perilluſtr. Carolus Doctor Medicus.
Benzi. Adm. Rev. Dom. Antoninus Laurentius.
Bindi. Adm. Rev. Dom. Carolus Antonius S. Theolog. Doctor.
Bologneſi. Adm. Rev. Dom. Ioannes.
Bolognini. Adm. Rev. Dom. Philippus S. Theolog. Doct. Prior. S. Felicis Florentiae.
Borgheſi. Perilluſtr. Dom. Alexander.
Cerracchini Adm. Rev. Dom. Lucas Ioſeph. S. Theolog. Doct.
Cignozzi. Perilluſtr. Dom. Philippus.
Durazzini. Perilluſtr. Dom. Nicolaus Doct. Med.
Fares. Adm. Rev. Dom. Vincentius.
Forzoni. Illuſtriſs. Dom. Stephanus Andreas.
Gondi. Illuſtriſs. Dom. Americus.
Loni. Adm. Rev. Dom. Antonius Valentinus Prior S. Mariae *al Fornello*.
Mazzei. Perilluſtr. Dom. Ioannes Franciſcus Doctor Medicus.
Petrelli. Adm. Rev. Dom. Caietanus Baſilicae Lauren-

rentianae Capellanus, & Quaeſtor.
Pini. Perilluſtr. Dom. Petrus Franciſcus.
Piombanti. Perilluſtr. Dom. Camillus Academiae Florentinae a Commentariis I. V. Doct.
Riſtori. Perilluſtr. Dom. Antonius.
Stoſche. Illuſtriſs. Dom. Baro.
Tanzini Adm. Rev. Dom. Ioſeph.
Tartini. Perilluſtr. Dom. Caietanus.

G E N E V AE.

Barillot. Perilluſtr. Dominus.

L I B V R N I.

Mazzoni. Admod. Reverend. & Perilluſtr. D. Doct.

L V C AE.

Fiorentini. Illuſtriſs. Dom. Franciscus.

R A V E N N AE.

Della Torre. Illuſtriſs. Dom. Franciſcus.

S A N C T A C R U C E.

Adm. Rev. Pater. Laurentius Maria Minor. Obſer.

S A N C T I C A S S I A N I.

Bracci. Perilluſtr. Dom. Philippus Nerius Doct. Med.

S E N AE.

Adm. Rev. Pater Aloiſius Maria Min. Obſer.

Admo-

ADmodum Reverendus Pater D. Octavius Ruſtici Ven. Congregationis Caſinenſis Philoſophiae, & Sacrae Theologiae Profeſſor, attente perlegat Librum hunc, cui titulus *Deliciae Eruditorum, ſeu veterum, &c.* & videat ſi quid contineat, quod bonis moribus, & Chriſtianae Fidei adverſetur, ac referat.

Dat. 12. Auguſti 1737.

Dominicus de Bardi Vic. Gen.

LIbrum, cui titulus *Deliciae Eruditorum, &c.* ut mihi eſt demandatum, attente perlegi. In eo quod Fidem, aut mores, laederet offendi nihil; plura vero utilia aeque, atque iucunda paſſim inveni: dignum itaque cenſeo, qui typis mandetur, in quorum fidem, &c.

Ex Abbatia Florentina die Auguſti 25. 1737.

D. Octavius Ruſtici Mon. Caſinenſis in eadem Abbatia Philoſoph. & S. Theolog. Lector

Attenta ſupradicta relatione imprimatur.

Dominicus de Bardi Vic. Gen.

ADmodum Reverendus Pater Theologus Thomas Maria Griſelli Cenſor huius Sanctae Inquiſitionis videat, & referat.

Ex AEdibus S. Officii Florentiae 28. Auguſti 1737.

Fr. Franciſcus Antonius Benoſſi Min. Conv. Vic. Gen. S. Off. Florentiae.

IVſſu Reverendiſs. Patris Pauli Antonii Ambrogii Generalis Inquiſitoris attente perlegi Librum, qui inſcribitur *Deliciae Eruditorum*, *&c.* ipſumque dignum cenſeo, qui publica luce donetur.

Datum Florentiae in Collegio D. Marci Ordinis Praedicatorum 16. Septembris 1737.

Fr. Thomas M. Griſelli in ſuprad. Collegio Sac. Theolog. Lector, & Cenſor pro S. Inquiſ.

Attenta ſupradicta relatione imprimatur.

Fr. Franciſcus Antonius Benoſſi Min. Conv. Vic. Gen. S. Off. Florentiae.

Carolus Ginori pro Reg. Celſ. vidit.

CHRONOLOGICA IMPERATORUM OCCIDENTIS SERIES A CAROLO MAGNO AD CAROLUM V.

	Coeper.	Regn.
Carolus Magnus ipſo Natalis Dominici die Corona capiti impoſita renunciatur Imperator, anno Chriſti 800. Eccleſiam tutatus eſt, & totus in officia religionis ac pietatis intentus diem clauſit, & 14. annis tenuit Imperium.	800.	14.
Ludovicus Pius, filius ei ſuffectus eſt, qui patris veſtigia premens, Eccleſiae vindex exſtitit. Stephanum quintum excepit, ab eoque apud Remos anno 816. Imperatoria Corona decoratus eſt.	814.	17.
Lotharius Ludovici F. natu maximus, pluribus in proeliis adverſus fratres	840.	17.

		Cœper.	Regn.
	commiſſis rem infeliciter geſſit. Annis 15. Imperium tenuit, deinde in Prumienſi Coenobio Monachus eſt factus.		
	Ludovicus ſecundus Lotharii filius contra Saracenos Africanos bellum geſſit. Beneventanorum Ducem compeſcuit, à quo poſtea & ipſe victus eſt, nec minus tamen Italia fugere compulit. Ludovicus cum alio Ludovico II. Balbo dicto, Rege Francorum, promiſcuè non eſt habendus; is enim anno tantum 877. regnare incepit, neque unquam fuit Imperator.	855.	20.
	Carolus, cognomento Calvus, Romam advolans a Joanne VIII. in Auguſtum coronatus eſt ipſo Natalis Dominici die, anno 875. Imperii 2. veneno a Medico ſuo ſublatus eſt.	875.	10.
	Carolus Craſſus in locum eius ſucceſſit, imperavit annis decem, & proelio adverſus Normannos commiſſo, victus diſceſſit. Regnum non ultra 887. *vel* 888. obtinuit.	876.	10.
	Arnulphus, Roma expugnata, a Formoſo Papa Corona Imperiali decoratus eſt.	887.	12.
	Ludovicus III. ſubſtituitur Arnulpho patri. Ab Hungaris victus eſt, cum eoque Caroli M. poſteritas defecit.	900.	6.
	Conradus primus e Teutonicis Germaniae Imperium obtinuit; obvias	906.	7.

pri-

	Coeper.	Regn.
primum difficultates paſſus, ſolerter exſolvit.		
Henricus Auceps dictus de Hungaris memorabiles retulit victorias.	912.	20.
Otho magnus, Henrici filius, Sclavos & Boemos perdomuit, Giſibertum Lotharingiae Ducem, & Ludovicum Tranſmarinum vicit; Italia armis occupata, a Romano Pontifice unctus, coronatuſque eſt Imperator.	936.	38.
Mortuo Carolo Craſſo, dira in Im- ,, perio rerum perturbatio ſequuta ,, eſt. Plurimi Italiae Principes no- ,, mine & inſignibus Imperii ſeipſos ,, decorabant. Seriem eorum conte- ,, xemus, qui a Caroli Craſſi morte ,, nomen Imperatoris in Italia uſur- ,, parunt ad Othonem Magnum, qui ,, Berengarium ſecundum ea digni- ,, tate ſpoliavit. Deinde ſeriem fi- ,, liorum & ſucceſſorum Othonis ,, Magni perſequemur. ,,		
Vido Dux Spoletanus, Imperatoris ,, nomine potitur; eumdem ſibi ti- ,, tulum Berengarius ſumſerat, co- ,, ronatus Imperator a Papa For- ,, moſo, ſed victus eſt. Lamber- ,, tus Vidonis filius Imperatoris no- ,, men a patre conſequutus fuerat. ,, Vido mortuus eſt anno 894. ,,	988.	6.
Lambertus patri ſuffectus, Arnul- ,, phumGermanum Imperatorem,& ,, Berengariũ Foro-iulienſem fregit. ,,	894.	5.

	Coeper.	Regn.
„ Berengarius ſummam rerum in ſe „ transtulit. Sed Ludovicus Boſo- „ nis filius a Lothario Imperatore „ per matrem repetens originem, „ ab Adelberto Tuſciae Marchio- „ ne in illum excitus eſt.	899.	1.
„ Ludovicus Boſonis filius in Italiam „ advolans, victo Berengario, a „ Papa Imperii donatus eſt inſigni- „ bus anno 901. ſed a Berengario „ deinde Imperio privatus eſt.	901.	3.
„ Berengarius igitur rurſus tenuit Im- „ perium anno 904. & anno 915. „ Imperator eſt inunctus: verum a „ Rodulpho Burgundiae Rege Im- „ perio & vita privatur anno 924.	904.	20.
„ Rodulphus Imperium non diu reti- „ nuit. Coactus illud abdicare duo- „ bus poſt annis in Burgundiam ſe „ recepit, vocato ab Italiae pro- „ ceribus Hugone Rege Arelata- „ rum ad Imperium capeſsendum.	924.	2.
„ Hugo Rex Arelatenſis, ſive Provin- „ ciae Comes, regnare incipit an- „ no 926. Maroſiam uxorem duxit. „ Anno 947. Hugo relicta filio ſuo „ rerum ſumma, in Provinciam re- „ diit.	926.	21.
„ Lotharius rexit Imperium, cuius „ particeps iamdudum fuerat factus „ ab Hugone. Mortuus eſt an. 949.	947.	2.
‟ Berengarius II. ab 945. anno rerum „ potiebatur, ſed mortuo Lothario	949.	13.

„ Im-

	Coeper.	Regn.
Imperatoris nomine decoratus eſt. ,, Otho enim Magnus in Italiam invitatus, Berengarium Imperium ,, abdicare coegit anno 962. Berengarius in Germania 966. fato functus eſt, & ſolus Otho Magnus ,, Imperatoris nomen geſſit. ,,		
Otho ſecundus in patris Othonis Magni locum ſucceſſit, & ab anno 967. coronatus fuerat Imperator. A Graecis in Calabria fuſus fugatuſque Romae obiit anno 983.	973.	10.
Otho tertius anno 990. Imperatoris titulo coronaque donatus, patri ſuffectus eſt. Vxorem ſuam, Aragonum Regis filiam, adulterii manifeſtam, ignibus addixit.	983.	19.
S. Henricus ſecundus, Claudus dictus, anno tantum 1014. inſignia ſumſit Imperii. Sarracenos in Apulia debellavit. Servata vel in matrimonio virginitate, anno 1024. mortuus eſt.	1002.	23.
Conradus ſecundus a Papa Ioanne XIX coronam ſuſcepit. Rodulphus Burgundiorum Rex anno 1032. in illum regnum ſuum tranſtulit. Odonem Comitem Campanienſem debellavit, & anno 1039. obiit.	1024.	15.
Henricus tertius Conradi filius, Boemos & Hungaros bello ſubegit, & Beneventina civitate auxit ſummum Pontificem. Morienti adfuit Victor ſecundus Papa.	1039.	27.

 qui

	Coeper.	Regn.
Henricus quartus. Romanam Eccleſiam adflixit. Fovit Antipapam Guibertum, & excommunicationis telo confixus eſt, quod Epiſcopos & Abbates conſtituendi ius ſibi adrogaret. A Saxonibus proelio peſſime exceptus eſt. Anno 1082. Hermanno Lotharingio Imperium delatum eſt, qui obiit anno 1088. A filio deturbatus Henricus mortuus eſt 1106.	1056.	30.
Henricus quintus patri haud abſimilis Eccleſiae moleſtiſſimus fuit, Antipapam Burdinum tutatus: pace ab eo reddita Eccleſiae anno 1122. obiit Trajecti anno 1125.	1106.	19.
Lotharius ſecundus Saxonum Dux translatum in ſe, repugnantem & invitum, Imperium ſuſcepit; Romam adiens, ſummum Pontificem reſtituit, atque armis parta Calabria occubuit anno 1138.	1125.	13.
Conradus tertius Frederici Sveviae Ducis filius, hortante ſancto Bernardo ad ſacram expeditionem, ſumto Crucis inſigni profectus, rem infeliciter tractavit. Obiit anno 1152.	1138.	13.
Fredericus AEnobarbus Conradi tertii patruus, Imperatoris nomen ab Hadriano IV. eſt adeptus anno 1155. Octavianum Antipapam tutatus eſt adverſus Alexandrum III. Cum ſummo Pontifice pacem ſancivit anno 1177. Sub inſigne Crucis coa-	1152.	38.

ctum

	Coeper.	Regn.
ctum exercitum Ieroſolyma deduxit. Tarſi in Cilicia diem obiit ſupremum anno 1190.		
Henricus ſextus Frederici filius patri ſubrogatus Imperii coronam cepit anno 1191. Apuliam & Calabriam bello conſequutus eſt, atque ab uxore veneno ſublatus eſt anno 1198.	1190.	7.
Philippus Imperium auſpicatus eſt anno 1198. & Aquiſgrani nomen Imperatoris ſibi tribuit. Ab uno e ſuis proceribus anno 1208. interſectus eſt.	1198.	7.
Otho quartus Imperatoris nomen ſibi ſumſerat aliquanto tempore poſt Philippum, at iuxta conſtitutam inter ſe pactionem eo, quamdiu ſuperſtes Philippus erat, ſe abſtinuit. Excommunicatione perculſus eſt anno 1210. A Philippo Auguſto ad Bovinas anno 1214. victus eſt.	1208.	9.
Fredericus ſecundus Henrici ſexti filius eodem tempore atque Otho IV. regnavit. Imperator anno 1220. electus eſt. Ter ſacris interdictus, in Syriam profectus, rem Chriſtianam infide geſſit, atque Italiam bellis & perturbationibus replevit.	1214.	32.
Henricus Haſſiae Lantgravius, ſtatim a Frederico in Concilio Lugdunenſi anno 1245. anathemate perculſo,	1245.	2.

Coeper. Regn.

ſibi purpuram adſumſit, duobus tantum annis Imperium tenuit, & moriens Fredericum ſecundum ſuperſtitem reliquit.

,, Guillelmus Hollandiae Comes, Fre- 1247. 9.
,, derico ſecundo adhuc in vivis
,, degente, Henrico ſuffectus eſt.
,, Obiit anno 1256. ſeptem annis
,, poſt Fredericum.

,, Richardus Cornubiae Princeps a 1257. 16.
,, nonnullis Electoribus Imperator
,, renunciatus, in Angliam, re
,, male confecta, ſe recipere coa-
,, ctus eſt.

,, Alphonſus Arragonum Rex ab aliis 1275. 19.
,, electus, contentus Imperii titulo,
,, onus illius ſubire recuſavit.

,, Per aliquot annos interregnum fuit,
,, donec, hortante Gregorio X.
,, indicta fuere Electorum Comi-
,, tia.

Rodulphus anno 1273. delectus eſt ob ſingularem pietatem, & fortitudinem. Bohemos praelio delevit, occiſo eorum Rege Ottocare.

Adolphus Naſſauvius Imperator ſalutatus eſt, crudelitate & rapacitate infamis, eique ſubrogatus Albertus Rodulphi filius. Adolphus commiſſa acie occidit anno 1298. 1292. 6.

Albertus Dux Auſtriae Adolphi locum obtinuit. Anno regni 10. a fratris filio trucidatus eſt. 1298. 10.

Hen-

	Coeper.	Regn.
Henricus Luxemburgenſis Dux in Italiam profectus, plurimis civitatibus potitus, Romae anno 1312. coronatus eſt. Regnum Neapolitanum invaſit, & anno 1313. non ſine veneni a Dominicano Monacho dati ſubſpicione eſt extinctus. *Poſt mortem eius menſium 14. interregnum fuit.*	1308.	5.
Ludovicus Bavarus deſignatur Imperator a nonnullis Electoribus, ab aliis Fredericus Dux Auſtriacus. Ludovicus, capto Frederico, diris devovetur a Ioanne XXII. & Antipapam Petrum Corbarienſem defendit.	1314.	33.
Carolus quartus Luxemburgenſis Romanorum Rex inauguratus eſt anno 1346. Romae coronam Imperialem accepit anno 1355. regnavit 31. annos.	1346.	31.
Vinceslaus poſt Caroli patris obitum locum eius ſuſcepit. Hic pro filio eligendo Electorum ſuffragia pretio ſuſtulerat, a quibus anno 1400. 22. Regni dignitate ſua motus eſt.	1378.	22.
Robertus Bavariae Dux Vinceslao ſuffectus eſt. Per decem annos regni nullum operae pretium fecit.	1400.	10.
Sigiſmundus Caroli quarti filius Vinceslai frater, in concilianda Eccleſiae pace, ſchiſmate conturbatae, totus fuit. Mortuus eſt anno 1437.	1410.	27.
Albertus ſecundus Dux Auſtriacus Sigiſmundo ſucceſſit ſocero ſuo.	1438.	2.

	Coeper.	Regn.
Maximas res adverſus Moravos, Bohemos, & Turcas confecit.		
Fredericus tertius cuius regnum in Germania quietiſſimum fuit. Huſſitae tamen Pragam & Bohemiam vi ceperunt, & Matthias plurima oppida Frederico eripuit.	1440.	53.
Maximilianus Frederici filius patri ſucceſſit. Bellis quibusdam Carolum octavum laceſſivit, quae brevi ſopita ſunt, Carolo Comitatum Atrebatenſium ultro ei permittente.	1493.	26.
Carolus quintus avo ſuo Maximiliano vita functo Imperium accepit: cum Franciſco primo perpetuum fere bellum habuit. Vrbem opera Caroli Borbonii ſtabuli Comitis, qui ſub Carolo merebat, vi cepit. Clementem ſeptimum in cuſtodia coniectum detinuit, fines Imperii plurimum in Africa promovit. Percelebrem in Germanos Lutheranos, dictos Proteſtantes, victoriam reportavit anno 1542. Nonnullis Henricum ſecundum Franciae Regem bellis pulſavit; adminiſtrationem Imperii in Ferdinandum fratrem tranſtulit, & obiit anno 1558.	1519.	36.

IN-

LEONIS VRBEVETANI
CHRONICON.

Incipit Chronica Imperatorum, compilata per Fratrem Leonem Vrbeveteranum, Ordinis Fratrum Praedicatorum.

Poſtquam in praecedenti volumine actum eſt de temporibus & geſtis ſummorum Pontificum, reſtat nunc ſcribere, & compilare, ſub brevitate tempora & geſta Imperatorum: incipiendo videlicet ab Octaviano Imperatore, genere Romano, ſub cuius tempore natus eſt Ieſus Chriſtus in Bethleem Iudae; & deſcenden-

dendo uſque ad Fredericum Imperatorem (1), ſive Henricum genere Alamannum, quem Dominus Clemens Papa VIII. (2) coronavit, ſive coronari fecit, Romae in Baſilica Sancti Iohannis in Laterano.

Cetera, quae ſequuntur, uſque ad Carolum Magnum, praecidimus, quum nil fere contineant, quod exactum caſtigatumque ſit: non enim vetus Romanorum Caeſarum hiſtoria ex huiuſmodi incultis, oſcitantibuſque, Scriptoribus repetenda eſt. Sed non inutilia videri poſſunt multa, quae in ſequioris aevi Auguſtorum vitis memoriae produntur, utpote quae vel auctoris aetatem attingunt, vel ad eam propius accedunt.

(1) Fridericum II. ſcilicet.

(2) Locus in mendo cubat ex Librarii, ut videtur, oſcitantia: nam hic agitur de Clemente V, qui Henricum a Luxemburgo coronavit, ut *Leo* ipſe ſcribit in praedicto Clemente.

CArolus Magnus, annis quatuordecim: Hic fuit filius Pipini; & prius fuit Rex Francorum, & iuvit Papam Hadrianum & Eccleſiam contra Longobardos, & cepit Regem eorum Papiae (1). Hic fuit poſtea Imperator Romanorum, relicto Graecis Conſtantinopolitano; & ex tunc diviſum eſt Imperium in Romanum & Con-

Conſtantinopolitanum (2). Huius tempore Comites Palatini Rolandus & Oliverius (3), & ceteri Saracenos devincunt in Hiſpania; ſed poſt proditionem Ganellonis Comitis de Maguntia occiſi ſunt (4). Hic Carolus terram ſanctam recuperavit (5). Et rediens cum victoria per Conſtantinopolim, noluit recipere munera auri & argenti, ſed recepit partem Coronae Chriſti, qua ipſe coronatione floruit (6), & Clavum (7), & partem Crucis, & Sudarium Domini. Hic ad numerum alphabeti, viginti tria monaſteria conſtruxit, & unicuique litteram de auro fabricatam dedit; ex quarum ordine litterarum, tempus & ordo monaſteriorum ſciri poterat.

(1) Hoc eſt Deſiderium. *Dantes Paradiſ. VI.*
E quando il dente Longobardo morſe
La ſanta Chieſa, ſotto alle ſue ali
Carlo Magno vincendo la ſoccorſe.

(2) De diviſione Imperii, & translatione ad Carolum Magnum, conſule diſſertantem *Natal. Alexandrum Tom. VI. Hiſtor. Eccleſiaſt. Diſſert. I. in IX. & X. Saecul.*

(3) Florentiae in fronte Eccleſiae SS. Apoſtolorum inſcriptio exſtat marmore inciſa, quae indicat illam Eccleſiam fuiſſe a Turpino Remenſi Archiepiſcopo conſecratam, Rolando & Oliverio teſtibus. Inſcriptio eſt, quae ſequitur, ſed falſa, ut videtur.

VIII.

VIII. V. DIE VI. APRILIS.

IN RESURRECTIONE DOMINI
KAROLVS FRANCORVM REX A ROMA
REVERTENS INGRESSVS FLORENTIAM
CVM MAGNO GAVDIO ET TRIPVDIO
SVSCEPTVS CIVIVM COPIAM
TORQVEIS AVREIS DECORAVIT
ET IN PENTECOSTEM FVNDAVIT
ECCLESIAM SS. APOSTOLORUM IN ALTARI
INCLVSA EST LAMINA PLVMBEA
IN QVA DESCRIPTA APPARET
PRAEFACTA FVNDATIO ET CONSECRATIO
FACTA PER ARCHIEPISCOPVM TVRPINUM
TESTIBVS ROLANDO ET VLIVERIO

Huius autem rei fides eſto apud Anctorem.

(4) Heic Turpini fabulas ſequi videtur, quae exſtant in Bibliotheca Laurentiana MSS. & inſcribuntur: *Vita Rotolandi Martyris*.

(5) Exſibilandum commentum.

(6) Coronam Chriſti adquiſivit Ludovicus IX. ut patet ex *Breviario Pariſienſi* ad diem XI. Auguſti.

(7) Huiusmodi Clavos *Iuſ. Fontaninius* ad vigintiquinque enumerat in diverſis locis adſervatos. *Graveſonius de Myſteriis & Ann. Chriſti*.

(8) Quum in Membranaceo Codice Bibliothecae Riccardianae brevem carptimque compilatam rerum

a Gal-

a Gallis praeclare geſtarum hiſtoriam offendiſſem, heic eam exhibere animum induxi, cum quia Imperatorum quorumdam geſta partim enarrat, aliaque, quae a *Leone* noſtro in hoc Chronico narrantur, illuſtrat; tum quia laudes Regum celeberrimorum, & gentis inclitae, continet. Qui enim, quum Occidentis Imperium in Carolo Magno einſque poſteris reſtitutum videam, non exiſtimem ſimul haec Regum Francorum praeconia apte uniterque heic inferi, iiſque hoc Imperatorum Chronicon congruenter exornari? Hiſtoria haec a *Ioanne ab Inſula* ſcripta eſt, ut ipſe auctor ſe nominat, quem quidem Monachum forte cenſuerim, quum ſe dicat illam ex Chronicis ſancti Dionyſii excerpſiſſe: Sanctus autem Dionyſius inſigne Coenobium eſt non multum Lutetia Pariſiorum diſtans: inſuperque eam Viro ſacris initiato nuncupare videtur, eum Patrem optimum adpellans, ſeque illius diſcipulum profitens. Verum de hoc liberum eſto Lectorum iudicium. Scriptio Codicis eſt ſaeculi XV. nec unius *Ioannis ab Inſula* opuſculum eo continetur, ſed *Magiſtri Alani Quadrigarii* quoque, & *Nicolai de Clemengiis*, qui omnes circa initium ſaeculi XV. floruiſſe videntur, quum de motibus & infortuniis Regni Franciae tunc temporis obvenientibus agant, & *Magiſter Alanus* praecipue multa narret & ſcribat de Ioanna Darcia, puella Aurelianenſi, & eam exquiſitis laudibus ferat. Quin in fine cuiusdam capitis, ita ſcriptum eſt; *Scriptum anno Domini milleſimo quadrageteſimo XI. feria III. poſt invocavit*. Sed de *Ioannis* huius aetate etiam iudicari poteſt ex eo, quod Philippi Valeſii, Ioannis, & Caroli Regum, tamquam ſuae aetati proximorum, & noviſſimorum meminerit, ita ſcribens: *Ceterum quia hiſtoriae Philippi de VValeſio, necnon &*

Ioan-

Ioannis & Caroli Regum Franciae noviſſimorum, quibus Chriſtus indulgeat, ſunt recentes, contigeruntque prope nos, tacere cenſuimus. Illi autem Reges vixerunt ſaeculo XIV. & Carolus V. quo de agit anno MCCCLXXX. naturae conceſsit. Lubet vero heic ſimilia quaedam iis, quae *Ioannes* commentatur, adſcribere ex oratione quadam *Nicolai de Clemengiis*, quae ut diximus in eodem Codice exſtat, & Francorum potentiam exaltant. Illa autem ſunt quae ſequuntur: *Sceptrum autem Francorum Regum nobiliſſimum, ceteriſque Catholicis regiis praeeminens ſceptris. Et ſi non ſua ſub ditione totum habet orbem terrarum, tantae tamen eſt potentiae, ſi a ſeſe non diffideat, ut nullos debeat hoſtes metuere; ſed eunctos ſuos poſſit hoſtes, ſi conſona ſuorum mente bellum intulerit, aut delere aut ſubiugare.* Et e re nata animadvertere eſt, in hac eadem oratione hunc elegantem Scriptorem peculiarem fere ſuam de confuſione linguarum in Babelica turre opinionem ſubiudicare, quae multum *Gregorii Niſſeni*, *Rich. Simonii*, *& Io: Clerici* ſententias, quas apud *Calmetium Diſſert. de Confuſ. linguar.* videre eſt, iuvare valeat. Ita enim ſcribit: *Quid illa quoque linguarum diviſio turrim Babel exſtruentibus a Deo immiſſa, niſi varios animorum motus ſuperbis ſe adverſus Deum erigentibus plerumque ad ſuam deiectionem immitti deſignat; prius enim, quod lingua promovetur, neceſſe eſt mente concipi.* Laudatae autem orationis titulus eſt qui ſequitur: *Ad Gallicanos Principes diſſuaſio belli civilis cum gravium periculorum atque incommodorum inde ſequutorum expreſſione.* N. d. Cle.

DE

IOANNIS AB INSVLA

De Geſtis & Factis memorabilibus Francorum.

,, SVas paucarum noctium vigilias en, Pater opti-
,, me, diſcipulus tuus is, cui nomen eſt Ioannes,
,, & Inſulae titulus praepoſitus, paternitati tuae
,, mittit, ut per Cancellariae tuae ſubmiſſionem,
,, priuſquam dentibus canum, quos proſpicit iam
,, prodire, lacerantur, huiuſmodi vigiliis * detur; de
,, quibus Cicero ait: *Adeſt enim fere nemo qui non*
,, *acutius atque acrius vitia iudicet, quam recta vi-*
,, *deat. Ita quidquid eſt in quo offenditur, is*
,, *etiam illa, quae laudanda ſunt, obruit.* Qui li-
,, cet antequam Tullii praemiſſam legiſſem ſen-
,, tentiam, praeſentiebam quippe crudum indige-
,, ſtumque laborem hunc reprehenſoribus minime
,, cariturum; malui tamen irriſus exercitatione
,, quidquam diſcere, quam nihil dicendo nequaquam
,, irrideri. An ſtulte aut ſecus actum ſit iudica. Va-
,, le, & iube ocius parituro.

,, Regali progeniei, ceteraeque militiae Gallica-
,, nae, zelator veſtri honoris & regni commodi, in
,, Rege regum Ieſu ſalutem, ac veſtrorum lauda-
,, tiſſima priorum veſtigia feliciter imitari. Solet,
,, honoratiſſimi mihi Domini, bene geſtorum recor-
,, datio ingenuis ſtimulus eſſe; ignaris vero canitur
,, tamquam ſurdis. Experiri ergo fuit animus an
,, utile aut ſecus fuerit, apud vos refricare, co-
,, ramque veſtris ingerere conſpectibus ea, quae in
,, Romanorum Latinorumque ac aliorum plurimo-
,, rum Annalibus & Scripturis de ſtrenuitate atque
,, militia Francorum progenitorum veſtrorum lauda-
,, biliter memorantur. Qui, ut fide optima compe-
,, rio, longiſſimis ante temporibus priuſquam Re-

„ demtor humani generis naſceretur, Liguriam, „ quae Longobardia vocatur, Romaniamque & Ap- „ puliam, necnon Calabriam, Terramque laboris, „ & Africam, atque Macedoniam, ac demum Grae- „ ciam cum parte maxima Orientis, ſuo ſubdiderunt „ dominio; conſtruxeruntque ultra Alpinos montes „ oppida quamplurima, atque civitates. Circa quod „ poſt plurimas de ſtrenuitate Gallicorum laudes de „ illis Iuſtinus ita ſcribit: *Denique nec reges Orientis* „ *ſine mercenario Gallorum exercitu ulla bella geſſe-* „ *runt; nec pulſi regno ad alios quam ad Gallos con-* „ *fugerunt; tantus terror Gallici nominis, ſive armo-* „ *rum invicta felicitas, erat; ut aliter nec maieſtatem* „ *ſuam tutam, nec amiſſam recuperare ſe poſſe, ſine Gal-* „ *lica virtute arbitrarentur*. Sed quid, poſtquam Ca- „ tholica religio luceſcere coepit, in hoc regno e- „ gerunt, auditote, & animis figite veſtris, quatenus „ Virgiliana in vobis illa de futuro verificetur ſen- „ tentia:

„ . . . *Et haec olim meminiſſe iuvabit*.

„ Iuvabit ſiquidem, ut ſpes mea eſt, & ad anti- „ quam vos virtutem excitabit. Non me tamen per „ hoc librum vel hiſtoriam texturum expectetis, aut „ de geſtis ſingulorum Franciae Regum debere paſ- „ ſim loqui; quin potius ſub epiſtolari formula pau- „ ca de multis elicere inſigniora propoſitum eſt: „ reliquas vero Chronicarum partes alii, ut libi- „ tum fuerit, excerpant. In prato florem unus le- „ git, herbam alter; hoc iſte, iſtud ille: *trahit ſua* „ *quemque voluptas*. Quod ſi de iſtius noſtrae reci- „ tationis veritate quaeratur, Hiſtoriographi, a qui- „ bus haec fideliter exhauſta ſunt, fidem facient, „ quorum & ſibi ſimilium tale Cicero deſcribit „ eſſe munus, nequid falſi dicere, deinde ne-

quid

„ quid veri celare audeant; neque ſubſpicio gratiae
„ ſit in ſcribendo, neque ſimultatis. Ad rem igitur
„ veniamus.

„ Per diſcurſum ſiquidem Chronicarum ſancti Dio-
„ nyſii reperio in Genealogia Regum Franciae ge-
„ nerationes tres fuiſſe principales. Prima Mereo-
„ veorum. Secunda Pipini Caroli Magni Parentis.
„ Tertia Hugonis Capeti. De prima exivit Clodo-
„ veus fortis, ex eaque fuit baſis Lotharingorum Re-
„ gis. Qui quidem Clodoveus, primus Regum Fran-
„ ciae Chriſtianus, poſtquam Germaniae regem bel-
„ lis graviter devicerat, ab eoque ſubacta fuerat
„ Burgundia, ecce continuo extendit regnum iſtud
„ ad montes uſque Pirenaeos Hiſpaniam & Galliam
„ dividentes. Et eodem ipſo anno Burdegaliae in
„ hibernis ſtetit reſeditque & manſit, ut neſcien-
„ tibus pateat a quam priſcis diebus Aquitania Fran-
„ ciae regibus eſt ſubiecta. Poſt quidem Clodo-
„ veum, longo licet intervallo, regnavit Clotarius
„ dictus Magnus, qui, & Dagobertus eius natus,
„ Saxonum ſuperbiam adeo contuderunt, & quem-
„ admodum fert Hiſtoria, ſic terram igne & inte-
„ remtionibus vaſtaverunt, ut facta commenſura-
„ tione non remanſerit maſculus altior uno enſe.
„ Poſtmodumque in Sclavonia, quia patri bellum
„ movere cogitabat, ipſe Rex Dagobertus de illis
„ omnino idem egit. Cui Dagoberto Coenobii ſan-
„ cti Dionyſii fundatori ex tunc Dux Britanniae mi-
„ noris praeſtitit fidelitatis homagium, quemadmo-
„ dum Carolo Magno & eius filio Ludovico Man-
„ ſueto ex poſt fecit, ut ſciatur Ducem Britanniae
„ praeſentem alia ratione, quam Ducatus Nort-
„ manniae, hominem regis eſſe. Non hic facta di-
„ cam Caroli Martelli, qui duos Reges tyrannos

,, infideles ſatagentes regnum Franciae dominari
,, praeliis duobus, uno apud Patavium, alio pro-
,, pe Narbonam, iuxta Birram fluvium, uſque ad
,, CCCXXV. mille Macometicos in fugam convertit
,, & devicit, praeter ceteros actus ſuos ſtrenuiſſimos
,, in Alamannia, Provinciaque, & alibi, unde victor
,, ſaepenumero eſt reverſus.

,, Nec differere adgrediar, quomodo Pipinus II.
,, Caroli Magni Genitor, poſt plures etiam victo-
,, rias Alpes tranſiit, & Aſtulphum Longobardiae
,, Regem tributarium coegit eſſe.

,, Tacitis quin etiam quae Rolandus omnium ſui
,, temporis nominatiſſimus, & Oliverius individuus
,, eius comes, ineffabiliter armis operati ſunt, veniam
,, ad partem licet exiguam expeditionum invictiſſi-
,, mi Caroli Magni; nam, ut veridice inquit unus,
,, ad omnia explicanda eximia facta ſua Tullii labo-
,, raret induſtria, & facundia deſudaret: & omit-
,, tendo quae flore egit iuventutis, & antequam
,, adſumeretur in regem, ſuum invenio primum bel-
,, lum poſt Pipini patris ſui obitum in Aquitania
,, adverſus Regem Gaifferum exſtitiſſe. Cui confli-
,, ctum talem dedit, quod eum tamquam hominem
,, ac vaſallum ſuae ſubmiſit ditioni. Dehincque
,, confeſtim Alpes tranſiit ad Hadriani Apoſtolici &
,, Romanorum precatus, quibus Deſiderius Longo-
,, bardorum Rex gravamina inferebat valde multa.
,, Quem Deſiderium adeo contrivit ac devicit, ut
,, exſulem eum redderet, reſtitutis quae a populo
,, abſtulerat ac Romanis. Regnumque huiuſmodi
,, Liguriae alteri natorum ſuorum nomine Pipino
,, commiſit atque dedit, & conſequenter de Aqui-
,, leiae Ducatu, quem eadem profectione cum Ve-
,, netis ſubiugavit, pro voluntate ordinavit. Qui-

bus

„ bus expeditis Saxones protinus invadit, cum quibus „ ultra annos triginta a Francis eſt certatum, non „ ſine ambarum partium maximo detrimento, cla- „ de tamen multo graviori Saxonum, demum Ca- „ roli imperio pro nutu ſubmiſſorum. Et paucis poſt „ diebus de Britonibus ſub factionis modo ſeſe ſub- „ ducere molientibus Miniſtro cuidam Caroli iden- „ tidem factum fuit: qui valide permeat rurſus. „ montes adverſus Ducem Aſſigeum, a quo Appu- „ liam Calabriamque & Terram laboris facile, quum „ non auderet repugnare, abſtulit. Continuoque in „ Bavariam revertitur, quam, & Ducem Statillum „ nomine, debellat atque capit. Qui quia aliquanto „ poſt tempore iuſſionibus Imperialibus parere re- „ nuebat, Carolus Ducatum Bavarorum in Comi- „ tatum ad depreſſionem *: quatenus conregionales de „ levi mutabiles ab inobedientia conſimili perterre- „ ret, & metu contineretur audacia.

„ Adit praeterea Carolus noſter, cognomine & „ re Magnus, Hungariam, Sclavoniam, Pannoniam, „ Datiamque, & ii quoque, ut fuit poſſibilitas, cal- „ citrarunt. Omnes tamen ultro vel invite Carolo „ paruerunt, ut iam de finitimis huic regno non lo- „ quamur, ſicuti eſt Hannonia, Leodium, Braban- „ tia, Ducatus Iuliacenſis & Guelriae, ac Duca- „ tus & Comitatus Burgundiae, totaque Provincia, „ atque Sabaudia, Ducatus Lotharingiae & Lucem- „ burgenſis, Metis, Tullum, Verdunum, Treviris, „ Agrippina, quae nunc Colonia vocatur, Magun- „ cium, Argentinum; & qui, diſtantiores ſunt nobis, „ Waletabi, Sorabi, Abrodicii, & aliae gentes innu- „ merae, quae ad ſui nominis famam ipſius bene- „ volentiam e longinquo quaeſierunt. Quibus in „ Orientali plaga & Septemtrionali, ut ſupra tactum

„ eſt, expeditis, & poſteaquam ultra mare ſacram Ie-
„ ruſalem, & ſanctum Sepulcrum idolis abſterſe-
„ rat, & Chriſticolas a ſervitute exemerat pagano-
„ rum, ad meridiem verſus tendit, ac tandem Hiſ-
„ panias omnes, ut ſeſe protendunt, addidit ter-
„ ris paucis, provincias inſtituit, atque colonias. Sic
„ itaque, ut videtis vos eius poſteri, ſe geſſit no-
„ ſter grandis Imperator, qui tanta magnanimita-
„ te viguit, fortitudine ac virilitate valuit, & eni-
„ tuit claritate, quod regnum Franciae, quod iam
„ potens ac validum ſuſceperat, duplo auxit. Ad-
„ eoque ut extremis ſuis in diebus dona ſeu legata
„ fecerit abſque pluribus aliis in Hiſpania, XXII.
„ Metropolitanis Eccleſiis, quarum nomina hic ſe-
„ quuntur: Roma, Ravenna, Mediolanum, Forum-
„ iulii, Gradus, Colonia, Magoncia, Lunanum,
„ Treveris, Senonenſes, Biſuntium, Lugdunum,
„ Remis, Rothomagum, Arelas, Vienna, Taran-
„ taſia, Ebredunum, Burdegalia, Turones, Bituris;
„ ſuffraganeis quoque Antiſtitibus ſimiliter ampliſ-
„ ſime largiendo. Verum quia de religione, liberali-
„ tate, atque munificentia, ſeu virtute, aut mori-
„ bus ceteris tanti principis dicere non inſtitui,
„ facto hic fine quieſcam, ſi prius inſeruero quae
„ *Guillermus de Nangeio* hiſtoriographus non pa-
„ rum adprobatus recitat de habitudine Angliae il-
„ lo tempore ad hoc regnum, formaliter ita dicens:
„ *Guido Caroli Regis Comes, qui Marchiam Angliae*
„ *cuſtodiebat, Angliam ingreſſus cum multis, totam in*
„ *deditionem accepit, & Regi Carolo arma Regum &*
„ *Ducum, qui ſe dediderunt, inſcriptis nominibus ſin-*
„ *gulorum, praeſentavit; & ſic Anglia tunc primum*
„ *a Francis ſubiugata eſt*. *Eginaldus* vero Caroli
„ Capellanus, vir elegans, de inſulis illis, ita ſcri-
bit:

„ bit: *Scotorum quoque Reges ſic habuit Carolus ad*
„ *ſuam voluntatem, ut numquam aliter niſi Domi-*
„ *num, ſeque ſubditos ac ſervos eius, pronunciarent.*
„ Exſtant epiſtolae ab eis ad eum miſſae, quibus
„ huiuſmodi eorum adfectus erga illum indicantur.
„ O quam pertinenter hoc in loco exclamatio con-
„ veniret adverſus eos, quiqui ſint, quorum igna-
„ via remanet, quominus huius regni penſata inte-
„ gritate, & incolarum ſubiectione fideli, necnon
„ iuvenum & virorum fortium exuberantia, a prae-
„ fata Angliae inſula Gallicanae potentiae ſubiectio
„ conſimilis redderetur. Et quia contra milites no-
„ ſtros thraſonicos, & de ipſorum corruptiſſimis
„ moribus, qui profecto viliſſimo torpent otio, ſi
„ non turpius agant, alibi extenſe a me alias ſcri-
„ ptum fuit, illo eant, qui talis modi lectionis
„ ſunt avidi, & nos ad coepta revertamur. Poſt
„ eumdem quippe Carolum Magnum noſtrum, Ludo-
„ vicus pius, & Carolus Calvus, & plerique Reges &
„ Imperatores ſucceſſerunt, quorum facta omnia hic
„ differere nequaquam diſpoſui; niſi praecipue quan-
„ tum per id ſciri poterit a quo tempore & quo
„ Anglici terras in hoc regno & poſſeſſiones primi-
„ tus habuerunt, & quam fideliter ſervaverunt ha-
„ ctenus pacta ſua, ac ſuperioritatem ſui domini
„ Regis Franciae cognoverunt. Circa quam mate-
„ riam fideli calculo rerum & temporum facto, in-
„ venio non praeteriiſſe annos trecentos, quod in
„ Aquitaniae Ducatu nihilo plus obtinebant aut
„ poſſidebant Anglici, quam ego in Africa. Eſt-
„ que verum, quod poſtquam Dux unus Norman-
„ niae ipſos vi armorum ſubegerat, contigit ali-
„ quanto poſt tempore Angliae Regem nomine Ste-
„ phanum exheredaſſe Henricum filium Comitis

,, Andegavenſis de Ducatu Normanniae, qui ſibi
,, certa ſucceſſione competebat, ſuper quo ad Re-
,, gem Ludovicum filium Regis Ludovici, cogno-
,, mento Groſſi, tamquam ſuperiorem, querimoniam
,, egit; qui protinus, quemadmodum ſupremum de-
,, cet dominum, ius partis conſervando, huiuſmo-
,, di Ducatum de manibus dicti Stephani Regis eri-
,, puit, &, ad quem iure ſpectabat, Henrico reſti-
,, tuit antedicto. Acciditque paulo poſt praefatum
,, Regem Ludovicum Alienordem Guillermi Ducis
,, Aquitaniae natam repudiare, generis propinqui-
,, tate reperta, quamquam nonnulli cauſam inconti-
,, nentiae adſignarent. Quam quidem Alienordem
,, idem Henricus, cui Rex Ducatum Normanniae,
,, ut eſt dictum, recuperaverat, continuo poſt re-
,, pudium huiuſmodi, in uxorem duxit. Sicque ex
,, patrimonio, Normanniae; ex matrimonio, Aquita-
,, niae Dux exſtitit. Et, ut ſunt ſortes rerum, non
,, poſt multos dies in regem Angliae, heredibus
,, morientibus, praelatus propinquis ipſe Henricus
,, adſumitur. Qui ut ingratus & homo malae fidei,
,, benefactorem ſuum & dominum Regem Ludovi-
,, cum praefatum de nonnullis Aquitaniae & Nor-
,, manniae terminis, ſuperiorem cognoſcere recuſa-
,, vit: quam ob cauſam Rex Philippus Deodatus ſua
,, ſtrenuitate *Conquirens* nominatus, e veſtigio ſuum
,, educit exercitum, & Normannos, Andegavos,
,, Cenomanos, Turones, Lemovicoſque, abſque mo-
,, ra ſubiugos ſibi fecit. Quo etiam temporis inter-
,, ſtitio, Rex Angliae, nomine Ioannes, Imperato-
,, ri Othoni filiam in uxorem dat. Foedus ineunt,
,, quo gemino adgreſſu Franciam invadunt. Quod
,, cernens audax & providus Rex Philippus, Otho-
,, ni protinus it obviam; & quamquam quot po-
tue-

,, tuerat Alemannos adduxiſſet, nihilominusque Han-
,, novienſes, Flamingos, atque Brabantienſes, Iu-
,, liacenſeſque, & Comitem Boloniae, plureſque
,, alios huius regni proceres offenſos regi ſecum ha-
,, buit; omnes tamen felix Rex Philippus devincit in
,, regni finibus, atque capit, exceptis iis, qui cum
,, Othone fuga evaſerunt. In quo praelio XXX. Ba-
,, veriae, Comitibus Flandrenſi & Boloniae com-
,, putatis pro duobus, poteſtati regiae mancipantur.
,, Quo pene temporis momento, filius eiuſdem Phi-
,, lippi, nomine Ludovicus, adverſus praenomina-
,, tum Angliae Regem Ioannem in Aquitania mili-
,, tat, pugnat, eumque vincit, apud Rupem Mo-
,, nachi, ut hinc ignominioſe in Angliam redire
,, ſit coactus. Nec mora nec requies, quum ecce
,, idem Ludovicus mare tranſit, Angliamque in-
,, trat, ſuum fervide ſequendo inimicum, cuius qui-
,, dem Ludovici Londinenſes proſpicientes ſe mini-
,, me exercitui reſiſtere poſſe, magnis cum ſuppli-
,, catibus, plureſque Angliae aliae civitates ſeſe de-
,, dunt. Et ut eſt in hiſtoria, ferme omnes nobi-
,, les illius regionis, eidem Ludovico fidelitatis ho-
,, magium praeſtiterunt, ut ſuo rege propemodum
,, depoſito, noſtrum Ludovicum inthroniſſarent. Sed
,, inconſtantia ſolita ſuam conſtantiam ſervantes,
,, ſicut de ipſis ſtat proverbium, eumdem cauda fe-
,, rierunt. Et quia Anglici tantum armis benegeren-
,, dis faſtu ſunt elati, vice alia Simon Comes Mon-
,, tisfortis, qui in Anglia uxorem duxerat, quadam
,, ſuborta contentione, Regem Angliae, natumque
,, ſuum, bello capit, & ambos, quo libuit, incar-
,, cerat. Facinus inſuper aliud inſigniſſimum eiuſdem
,, Comitis Montisfortis, mihique pene incredibile,
,, niſi pluribus teſtatum id foret ſcriptis authenti-
cis,

„ cis, praeterire volueram, qui Regem Aragonum
„ Comiteſque Fuci, & Sancti AEgidii, cum ducen-
„ tis ſexaginta ſervientibus equitibus, & ſeptem pe-
„ ditibus non armatis, debellat, ipſis cum centum
„ mille obſidentium comitatu eum circumdantibus,
„ in oppido Carcaſſona, ac praefatum Aragonum
„ Regem occidit cum XVIII. millibus armatis, praeter
„ hos, qui fuga ſibi vitam praeſervaverunt; mira-
„ bile dictu! peregrinis cohortis ſuae ſeptem dum-
„ taxat interemtis. Quod ſi non aeque mirandum,
„ utilius tamen regno negocium ex poſt egit, qui
„ quemadmodum accipio, ea die, qua Rex Ludo-
„ vicus, cognomento Groſſus, ineffabili virtute Im-
„ peratorem Alamanniae regno expellebat, idem
„ vincentiſſimus noſter Comes, Angliae Regem, qui
„ regnum etiam invaſerat, propulit & devicit. Cu-
„ iuſmodi ambo facinora porro aliud memoria di-
„ gniſſimum, quod Lotharii Regis videlicet tempo-
„ re praeceſſerat *, quod quum Imperator alter unus
„ ſe iactaſſet urbis Pariſienſis limina portae pedibus
„ pulſaturum, invitis omnibus Francis; Lotharium
„ illum ita verbis gloriantem, Gallorum ſuorum vi-
„ ribus adeo coercuit, atque ferro, quod ſine iis,
„ qui multitudine aliter & aliter necati ſunt, tot
„ fugae praecipitatione in Summeria flumine ſunt
„ ſubmerſi, ut ſuper Alamannorum ſuorumque ſe-
„ quacium corporibus aquam ſupereminentibus, pon-
„ tis loco, facile tranſiretur. Et ut ad materiam,
„ unde egreſſus ſum, redeam, poſt eumdem Ludo-
„ vicum ſuccedit in regno Ludovicus noſter ſanctus,
„ qui in anno XII. coronatur, quod magis factu di-
„ gnum videretur, & in alio ſuperſtite cenſeretur fa-
„ ciendum: quum Rex Philippus primus, genitor ſtre-
„ nui Ludovici Groſſi, octennis ſimili munere viven-

te

,, te patre ſuo atque iuben[illegible] inſignitur inungiturque;
,, & de Caroli Magni iuſſu, quinquennis filius eius
,, Ludovicus manſuetus, conſimiliter coronatur. Quo
,, Ludovici ſancti tempore occaſione non expreſſa
,, in Chronicis inter Barones regni controverſia ob-
,, oritur. Quod cernens Dux Britanniae mali Cleri-
,, ci, Henrico Angliae Regi id inſinuat, ſubiun-
,, gens, ſe facile recuperaturum Ducatum Norman-
,, niae, aliaque dominia, & feuda, quae Rex Phi-
,, lippus ſuis praedeceſſoribus abſtulerat, ſi transfe-
,, rendo ſe circa mare Franciam hoſtiliter invaderet.
,, In quo ſuum auxilium per omnia pollicetur. Qui-
,, bus illecti verbis, tranſeunt Anglici, & Norman-
,, niam, eos duce Britonum antedicto comitante, in-
,, vadunt, igne ferroque & aliis ſtragium generibus
,, diſſipant, & crudeliter vaſtant: quo ad agnitio-
,, nem Ludovici regis & ſuorum pervento, ingenti
,, cum exercitu ad inimicorum propulſionem ſe inge-
,, runt, de quorum viribus rege Anglorum certo fa-
,, cto, ad Ducem ait: *Per evidentiam oppoſitum eius,*
,, *quod vos Dux nobis de diſcordia inter Francos di-*
,, *xeratis, conſtat eſſe verum, quibus ut certo com-*
,, *pertum habemus reſiſtere nequiremus. Idcirco in An-*
,, *gliam redimus: manete per vos, & errori veſtro*
,, *conſulatis.* Ita Dux Britanniae coactus eſt medio
,, Comitis Diocari fratris ſui reconciliationem re-
,, gis implorare, & ſeſe per omnia ſuae ſubmittere
,, maieſtati. Elapſis vero aliquot ex poſt annis, idem
,, ipſe Henricus Angliae Rex, iuxta mores patrios,
,, de quibus aiunt, nullam gentem inferioritate blan-
,, diri humilius, aut ſuperbius dominari, probitatis
,, ſanctitatem cognoſcens noſtri regis, pariter eum
,, adit, & orationem quantum ex Chronicarum ſenten-
,, tia coniecto, habuit huiuſmodi: *Chriſtianiſſime &*
in-

„ *inclitiſſime Regum, tanta praedeceſſorum tuorum*
„ *regum Franciae hactenus fama fuit, ut principum*
„ *ceterorum nullus ei aequari valeat, quin potius in-*
„ *ter exteros quum de regibus adparatio aliqua exori-*
„ *tur, alii Regum Franciae proſpectu Reguli vociten-*
„ *tur, quod ſignanter teſtantur geſtorum inſignium*
„ *Chronicae, teſtatur regni amplitudo, Clerus teſta-*
„ *tur egregius, teſtatur militia, teſtantur regiarum*
„ *ingentes ſtructurae atque moles, ceteraeque exube-*
„ *rantiſſimae divitiae, teſtatur inſuper religionis de-*
„ *votio, ſed teſtantur prob! dolor parentis mei & avi*
„ *atque proavi depreſſiones, perditioneſque dominiorum*
„ *in immenſum graves, ob offenſiones per eos fateor at-*
„ *tentatas, quorum uſque in hodiernum diem exſtant*
„ *reliquiae, & horum occaſione ad te ſuppliciſſimus*
„ *venio, Rex omnium humaniſſime, depoſcens a tua*
„ *caritate, quatenus, quum ab Avo tuo rege Philip-*
„ *po Ducatus Normanniae, parsque pulcerrima & uti-*
„ *lior Aquitaniae praedeceſſorum meorum e manibus*
„ *armorum vi, quae iurium poſtponit ſanctiones, ere-*
„ *pta fuit, imo vero per confiſcationem coronae ad-*
„ *plicata, digneris gratiam mihi recompenſationis quam-*
„ *piam largiri, &, ut melius dicam, tuae Maieſtatis*
„ *liberalitatem demonſtrare. Hoc oro, id obſecro, & o-*
„ *mni devotione requiro, per tui nominis famam, per-*
„ *que ſanctitatem, ac tuae nobilitatis munificentiam:*
„ *ſicque in ſempiternum, Rex omnium ſereniſſime,*
„ *apud me ac meos inter poſteros nomenque tuum lau-*
„ *deſque manebunt, tuiſque in poſterum iugiter obſe-*
„ *quiis obſtringemur.* Circa quod pius Rex atque
„ ſanctus, humilitatem, quam Rex Angliae prode-
„ bat, conſiderans Waſconiam & Agennenſes dat &
„ impartit Angliae dicto Regi; ita tamen quod de
„ illis ligium homagium praeſtitit cum circumſtan-
tia,

„ tia, quod ea teneret in paria, renunciaretque „ penitus omni iuri, quod in Ducatu Normanniae, „ aut alio quovis dominio, quod unquam aut uſ- „ quam ipſe vel quivis ſuorum praedeceſſorum in „ regno Franciae quoquo pacto habuiſſet. De qui- „ bus omnibus idem Rex Angliae conſilio praela- „ torum ac procerum plurimorum, qui profecti ab „ Anglia ſecum erant, pro munere tanto gratias a- „ gens, adprime fuit contentus. Sic a rege rex, va- „ ſallus a domino, licentiam obtinuit abeundi. Sed „ prius uno menſe apud ſanctum Dionyſium ad vi- „ ſitandum reliquiarum ſacrum locum, ſpaciandum- „ que ibidem reſidebat; ubi contigit, alterum re- „ gum Franciae natorum de medio ſubripi, qui or- „ dinaverat apud Regalem Montem ſepeliri. Cuius „ ſarcophagum ſeu feretrum parte una idem rex „ Angliae propriis humeris deportavit, ferme mil- „ liarii medietate, & quouſque, eo renuente, ob „ tanti domini magnificentiam ablatum eſt onus, & „ alteri imponitur differendum. Nec uſque ad tem- „ pora Regis Philippi pulcri Anglici motum quem- „ piam adverſus hoc regnum quoquomodo indide- „ runt, quibus diebus Edovardus pater Edovardi „ noviſſimi finxit ſe longius ire, & ad ſanctum ſe- „ pulcrum velle proficiſci, cuius profectionis vela- „ mine ecce tamquam vulpes intrat Normanniam, „ eamque ſpoliat bonis multis, quae tranſmiſit ad „ Angliam; dehinc in Aquitaniam declinat, atque Ru- „ pellam incolis de eo neque ſubſpicantibus capit, „ & ſimiliter oppidum Bleſiam. Ab hinc vero diver- „ tentes Anglici, Baionam, Gallicis, qui degebant, „ interemtis, proditione habitantium, capiunt: tan- „ demque poſt varia conſimilia facinora, remeant „ in Angliam. Rurſus ecce Caroli pulcri diebus

Ama-

„ Amatus germanus Regis Angliae Aquitaniam clam
„ ſubintrat, ſatagens pro viribus ſiquas civitates,
„ oppida, ſive caſtra, vel quid aliud poſſet reducere
„ ſub Anglorum dominio. Adverſus quem Rex Ca-
„ rolus dictus *Pulcer* Carolum patruum ſuum Co-
„ mitem Waleſii propere mandat, qui Angliae re-
„ gis fratrem adeo inſequitur de propinquo & viri-
„ liter inſultat, quod eum capit in Regula oppido;
„ qui quum ſe captivum ſentit, promittit fide data,
„ quamquam aliud cogitaret, ut patuit, quod ſi ad
„ germanum ſuum in Angliam ſineret accedere,
„ omni ſtaret iuri coram Rege Franciae. Inde, quos
„ hoſtagios vocant, vades praebens, tamen non
„ rediit, ſuae nationis fungens more, qui decipere,
„ vocant legitime mercari. Qua in expeditione
„ idem Comes Waleſii, tam exactiſſimo virtutis fer-
„ vore militavit, quod Vaſconia tota, tribus dum-
„ taxat oppidis exceptis, Gallicanae dominationi eſt
„ reducta. Ceterum quia hiſtoriae Philippi de Wa-
„ leſio, necnon & Ioannis & Caroli regum Franciae
„ noviſſimorum, quibus Chriſtus indulgeat, ſunt re-
„ centes, contigeruntque prope nos, tacere cenſui-
„ mus. Quumque verum dicendo praecipue priorum
„ duorum Regum in diebus, a Gallis adverſus An-
„ glos male pugnatum ſit, attamen Carolus, geni-
„ tor Caroli in praeſentiarum regnantis, inſtar Quin-
„ cti Fabii cunctando reſtituit rempublicam, ſi non
„ dixero, ampliavit; ſicque res omnipotentis nutu,
„ eo in ſtatu redierunt, quod iudicio diſcretorum,
„ pauca illa, quae Anglici occupant in hoc regno,
„ ipſorum perquam facile eriperentur ex manibus,
„ diviſionibus ſuis civilibus & pluſquam civilibus
„ maxime notatis, ſi & pecuniae potiſſimum, quae
„ guerrarum praetextu exiguntur, proprios & debi-
tos

„ tos converterentur in uſus. Ad quod nos induce-
„ re debent, praeter cetera, quod iidem Anglici non
„ magis ſuam optant ſalutem, eis quod male ver-
„ tat, quam innocentiſſimi & optimi huius regni
„ prorſus vaſtitatem. Quod ſi quid ſimile nobis in
„ Anglia tenere datum eſſet, aut Franciae ſubiici
„ ditioni, Anglici prius cuicumque ſubmitterentur
„ diſcrimini, quam talia quoquo modo paterentur.
„ Exſurgite tandem aliquando, exſurgite vos Do-
„ mini militares, & labem iſtam dedecoris abſter-
„ gentes de honore veſtro cogitetis. Maxime quum
„ virorum & aerarii copia ſubpetat quammaxima,
„ ſi exponerentur commode, in quo latet rei mo-
„ dus, quo ſoluto, nihil deeſt, niſi mature conſu-
„ lere & exſequi pariter opportune. Sed praecipue
„ a ductore pendet armata, qui maxime liberalita-
„ tis ſplendore micare debet, ſubmittique conſilio
„ expertorum, & activitate vigere, pluſque ſub
„ amore timeri, quam adverſarius ſeu hoſtis, pro-
„ ut Scipio Africanus teſtatus eſt; & qui numquam,
„ niſi ſuperior fuerit, aut neceſſitate pugnaret. Prae-
„ miari nempe debent boni ac ſtrenui, & merita
„ eorum largitionibus, & advocatione benigna, re-
„ cognoſci. Id enim, ut clarum eſt, reddit bonos
„ meliores, & alios ad bene agendum provocat &
„ inducit. Quod ſiqui fuerint, quibus ulterius de
„ diſciplina militari doceri ſit voluntas, Valerium
„ Maximum, Vegetiumque, & ut iubet Cicero, Sul-
„ pitium atque Milonem lectum eant, atque exper-
„ tiorem iſto calamum expoſtulent. Mihi demum
„ in hoc tempore viſum eſt, domini mihi cari, co-
„ ronam Franciae nitidiſſimam poſſe ſubſpiriis in-
„ gentibus de vobis ad vos ſic conqueri. *O vos o-*
„ *mnes, qui mihi genere attingitis, & qui etiam ſi-*

de-

,, *delitatis quopiam ligamine devincimini, perpendiſtis*
,, *quippe, & utique perpenditis per ea quae dicta ſunt,*
,, *quae ſim, unde maneam, & quo labore quaeſita ſim.*
,, *Nec eſt tamen veſtrum quiſquam, aut qui ſimul*
,, *omnes remedium adponatis. Quia is, qui Regem*
,, *Angliae ſe nominat, quique, prout fama publica la-*
,, *borat, dominum ſuum, ſupremum ſuum regem, cui*
,, *germanitatis cognatione fuit propinquus, crudeliſſi-*
,, *me fecit mori, uſurpando ad ſe regnum, in quo ſi*
,, *quid iuris ei antea competiiſſet, pro proceſſu, quem*
,, *tenuit, meruit omnino id perdere: & homo ille,*
,, *immo bellua & fera peſſima regem ſe Franciae*
,, *adpellare non veretur. Regis Franciae perſona mi-*
,, *ſerabilis atque viliſſima, qui ne homo quidem vo-*
,, *cari dignus es, aut inter mortales converſari, ti-*
,, *bi titulum attribuis, de quo aut in quo nullus un-*
,, *quam Angliae regum ius habuit; quam Edovardus*
,, *noviſſimus, qui perennem titulum hunc ſibi uſurpa-*
,, *vit, iuramentum fidelitatis, ac ſubiectionis homa-*
,, *gium, regi Philippo de VValeſio in propria unde ſtant*
,, *curte praeſtitit Ambianis. Poſtmodumque tractatu*
,, *cum rege Ioanne edito, regno iſto in ſtatu omni quo*
,, *unquam fuit peſſimo exſiſtente, idem Rex Edovar-*
,, *dus huiuſmodi abrenunciavit titulo. Ignoras tu de-*
,, *nuo, omnium ſceleratiſſime ac ſceleſtiſſime viven-*
,, *tium, quod ſexus femineus, cuius cauſſa idem Edo-*
,, *vardus dictum titulum adſumebat, ad me uſque non*
,, *pertingit, nec ſuccedit in hoc regno, ſed quod a*
,, *nonnullis paulominus ponderatur, & unde iuſtiſſi-*
,, *mum ac naturale procedit dominium, nullus hac in*
,, *regione a maiori ad minimum, laus Deo, nunquam*
,, *fuit qui vellet, conſentire tuae, aut ad mortem uſque*
,, *pateretur Anglicum, ſi etiam Hectore famoſior eſſet,*
,, *in capite, aut tamquam Rex in Francia dominari?*

Et

„ *Et tu te vocas regem; ubi nummos decem non poſ-*
„ *ſides, qui centum tibi librarum expenſam non ge-*
„ *nerent?* Eia igitur, Domini cariſſimi, rurſus in-
„ quam ſubponamus coronam Franciae praeliba-
„ tam iſto modo vos adloqui: *O vos, Alumni mei,*
„ *omnes precor recogitate in vobis, quid nunc agerem;*
„ *quove me verterem, ſi ut quondam magnus Henri-*
„ *cus rex Angliae, qui dux Aquitaniae & Norman-*
„ *niae, Andegavenſiumque, atque Cenomanorum, &*
„ *Turonenſium, Comes erat, inimicus mihi eſſet, &*
„ *Imperator Alamanniae, Comeſque Carnotenſis &*
„ *Brie, & Simo Belluacenſis, necnon Dominus de Pu-*
„ *teolo, & plerique alii, modo is, modo ille, modo*
„ *hic, modo alter, modo omnes pariter mihi guerram*
„ *infligerent. Et licet ita alias exſtitiſſe ſcriptis con-*
„ *ſtet, tamen ex ſanguine Franciae iamdudum talis*
„ *fuit, qui omnes & quemque praedictorum armis*
„ *vicit, & ſuperavit glorioſe.* Neſcio quippe quid
„ ſatis honorifice circa haec reſponderetur. Vos ipſi
„ videtis, quibus profecto a paupere plebe per omnia
„ paretur, non minus quam ſi ſclavi vobis forent,
„ & vectigalibus opprimuntur, velut omnes gentes
„ atque nationes armis praepotentibus ſubiugatas
„ faceretis, aut inimici terra marique hoc regnum
„ ambirent, quibus haud dubie non daretur ſuos
„ fines tueri, ſi animis vigeremus. Occurrit mi-
„ hi modo incidenter hic facere * propter eos qui
„ dicunt, quod Hugo Capeti olim Franciae Rex
„ ex ignobili progenie traxit ortum; cuius oppoſi-
„ tum veriſſimum probatur, dummodo Hiſtoriogra-
„ phis ſit credendum, adfirmantibus, eumdem Ca-
„ petum Pariſienſem exſtitiſſe, tempore, quo regna-
„ re intentavit, & ſibi filia Comitis Campaniae
„ ſponſa erat; verumenimvero ex his inferioribus

„ nihil eſt, quod aliquando non mutetur vel cor-
„ ruat. Ille itaque Capetus videns Caroli Magni
„ prolem extinctam propemodum, & quod mortuo
„ Lothario Rege Francorum, & Ludovico eius na-
„ to, nullus omnino de dicta Caroli linea reſulta-
„ bat, niſi Carolus quidam Lotharingiae Dux eiuſ-
„ dem Lotharii germanus, ſe tunc in regem idem
„ Capetus inthroniſſare ſecum firmat. Quid non ten-
„ tare inducis miſera ambitio? Ecce ingentem exer-
„ citum congregat, quo dictum Lotharingiae Ducem,
„ qui, prout iure paterno & avito competebat, factum
„ ſe in regem inungi veniebat, obſidet in Lauduno.
„ Quod cernens Lotharingus, Capeti prorumpit in
„ caſtra, eaque vaſtat, & incendit tentoria, atque ma-
„ chinas omnes & munimenta diſrumpit interimendo
„ obſidentium partem potiorem, ut vix fuga Cape-
„ tus evaderet, & ſicuti ſubiungit hiſtoria, Cape-
„ tus conſiderans, Ducem illum non poſſe capi il-
„ la, alia ingreditur via, & proditione Aſtelmi tra-
„ ditoris vetuli, Laudunum noctu intrans, eumdem
„ Lotharingiae Ducem cum uxore capit in grabato,
„ & ambos Aurelianis incarcerat: ubi ex eis nati
„ duo cum patre moriuntur, quemadmodum &
„ qualiter, novit ſcrutans corda & renes Deus. Sed
„ quia fatum imponere rebus, aut neceſſarium eventum
„ catholicorum vetat profeſſio, id quamquam non-
„ nulli Philoſophorum putaverunt, materiam, qui-
„ bus incumbit, relinquo diſputandam, repetens
„ quod Chronica circa haec profitetur, ſanctos vi-
„ delicet Richarium, & Walericum revelaſſe, he-
„ redes ſeptem de ſucceſſione Hugonis Capeti re-
„ gnaturos in Francia, & non plures. Vnde factum
„ fuit, quod Rex Philippus Deodatus certo ex pro-
„ poſito, & ut Franciae coronam in linea Caroli Ma-

gni

„ gni reponeret, Eliſabeth Baldoeni Comitis Han-
„ noniae filiam uxorem ſibi iungit, qui Comes Bal-
„ doenus exierat e nobili Ermengardae deſcenden-
„ te, ex proſapia praenominati Caroli Lotharingo-
„ rum Ducis ortum trahentis e quinta generatione
„ Caroli Magni in recta linea, ut eſt dictum. Ex
„ quibus rege Philippo & Eliſabeth coniuge ſua
„ procreatus eſt Ludovicus genitor ſancti Ludovici,
„ pariterque iterata eſt & repoſita Caroli Magni pro-
„ les, & ſine interemtione per Dei omnipotentiam,
„ continuata in hos dies. Hoc in paſſu ait Hiſtori-
„ cus in Chronica, lineam Caroli Magni tunc tem-
„ poris fuiſſe reprobatam; eo quod ſanctam Eccle-
„ ſiam modice venerabantur, imo potius onerabant,
„ & populum nimis multis exactionibus moleſta-
„ bant. Sed talia, ut ſubiungit, linquenda divino
„ arbitrio ſunt, quod iuxta Concionatorem regna
„ ut libet transfert: a quo regnum iſtud praeſer-
„ vet ipſa Divinitas ſuprema nobis quantum cogno-
„ ſcit opus eſſe. Et ut tandem finem faciam, Do-
„ mini mihi ſub omni reverentia percolendi, qua-
„ tenus veriſimiliora vobis adpareant, quae de prae-
„ deceſſoribus veſtris ſuperius explicavi, obviam
„ mihi venit, quod M. Tullius circa id in Invecti-
„ vis contra Catilinam teſtatur ſententialiter di-
„ cens, alias in poteſtate Gallorum fuiſſe Romanum
„ Imperium deſtruere poſſe aut ſalvare. Et alibi
„ Diis ſuis immortalibus gratias agit ex hoc quod
„ Alpes inter Francos & Italos immiſerant, ne faci-
„ le quum moverentur armis proſternerent Auſo-
„ niam. Criſpus quoque Saluſtius de Francorum
„ militia ita infit: *Romani adverſus certas nationes*
„ *pro virtute pugnant: quum vero Galli adſurgunt in*
„ *eos, non pro gloria, ſed ad defenſionem certare ni-*

„ *tuntur*. Item & Oroſius, *Quoties*, inquit, *Franci* „ *in Romanos exarſerunt*, *Roma divitiis attrita eſt*. „ Et Iuſtinus in Epitomate Trogi ait: *Gallorum au-* „ *tem nomen ſemper Romanos terruit*. Inque De bello „ Gallico Caeſaris, Iulii Celſi relatu eſt adſertum „ XXX. minus Gallos tria millia Maurorum loco „ expuliſſe, coegiſſeque in oppidum. Supplex igi- „ tur Deum oro, Domini mei potentia maximi, ut „ veſtrorum parentum & ſuperiorum praedictorum „ actus magnificentiſſimos vobis ita ad mentem re- „ ducere adnuat, ac per efficaciam taliter aemulari, „ quatenus, qui ſe temeritate vobis aequant, aut „ praeponuntur, Anglici, ſeſe ſervos veſtros, ut pri- „ dem actum fuit, cogantur adpellare. Amen.

Hactenus quidem *Ioannes ab Inſula*, qui, ut certo indicio iam conſtat, ſub Carolo VI. Francorum rege vixerit. Quum enim Philippi Valeſii, & Ioannis ſucceſſoris, mentionem feciſſet, ſtatim Carolum commemorat, atque regnantis Caroli genitorem fuiſſe dicit. Iam Carolus, qui regnum poſt Ioannem excepit, V. huius nominis eſt, adeoque eius filius, qui tunc temporis imperabat, eſt Carolus VI. qui quum regnum anno MCCCLXXX. iniiſſet, uſque ad annum MCCCCXXII. vitam produxit. Quum autem per ea tempora, & anno praecipue MCCCCVII. civile bellum in Gallia maiorem in modum exarſiſſet, quod deplorant & diſſuadent *Nicolaus de Clemengiis*, & *Magiſter Alanus Quadrigarius*, iis orationibus, quas in Codice Riccardiano contineri iam innuimus; atque inſuper Angli, veteres hoſtes, cuncta in Galliis, bello eodem tempore illato, igne ferroque vaſtarent; mirari non ſubit, ſi *Ioannes ab Inſula*, Gallicae gentis homo, in Anglos, gentem licet perilluſtrem, amarulentius invehatur, & *Henricum IV. Lancaſtrium*,

qui

qui tunc Angliae regnabat, contumeliis adficiat; abrepta praecipue occaſione ex eo, quod Ioannis patris caedem ulturus, Richardum II. Regem perpetua cuſtodia damnaſſet, &, excluſo legitimo herede, ſibi regnum parricidio uſurpaviſſet: de quibus omnibus conſulendi percelebres Hiſtorici, *Paul. AEmilius*, *Polydorus Virgilius*, *Io. Iuvenalis Vrſinius*, *Io. Froiſſardus*, *Anonymus S. Dionyſii Monachus*, *Ingelramnus Monſtreletus*, *Papirius Maſſo*. Vlterius animadvertendum ab *Ioanne* noſtro quoque fabulamentum illud prodi, quod & *Martinus Polonus*, & *Leo* etiam *Vrbevetanus* litterarum monumentis conſignaverunt, Carolum Magnum videlicet, ſacra expeditione ſuſcepta, in Palaeſtinam tranſiiſſe, & Ieroſolymam recuperaſſe: quod quidem commentum ex eo ortum duxiſſe arbitror, quod quidam memoriae prodiderunt, Carolum Magnum, quum anno DCCC. Romam advenit, Dominici Sepulcri, ac loci Calvariae claves accepiſſe cum vexillo, quod Ioannes Ieroſolymitanus Patriarcha per Zachariam Presbyterum ad ipſum miſerat; & ſpontanea Caliphae Aaronis ceſſione ſacrorum locorum dominum factum fuiſſe. Sed quum belli in Carolum VI. Francorum Regem ab Anglis illati mentionem fecerimus, illudque paſſim *Ioannes Inſulanus* reſpiciat; hocque tandem a Carolo VII. confectum ſit, Anglique victi ſaepius ac debellati, Ioannae Darciae potiſſimum opera; lubet heic inſerere *Magiſtri Alani Quadrigarii* ſuperius memorati epiſtolam ad Imperatorem, Sigiſmundum, ut videtur, datam, qua brevem huius puellae hiſtoriam Scriptor contemporalis contexuit. Hic *Alanus Quadrigarius* in Codice MS. quo utor, dicitur *famoſiſſimus* & *eloquentiſſimus Poeta*, & Galliarum Regis Secretarius & Orator. In quadam vero ad populos quos-

dam oratione ſe Legatum una cum aliis a Chriſtianiſſimo Rege miſſum profitetur. Epiſtola autem ita habet;

Illuſtriſſime Princeps,

„ NVntius veſter Corardus Bituris pridie me con-
„ venit, qui ſe a vobis in Galliam miſſum *, ut
„ cum Abbate S. Antonii vel Archiepiſcopo Remenſi,
„ quae de puella dicerentur, litteris impetrare poſſet;
„ ſed neutro horum invento, rogavit me vehemen-
„ ter, ut ſi gratam, ſi iucundam, rem vobis facere
„ cuperem, has litteras de puella conficerem. Ego
„ vero ſplendore ac magnitudine veſtri commotus,
„ libenter operam dedi, ne magnarum rerum, at-
„ que illuſtrium, & quae vos ſcire magnopere
„ cupitis, inanis veſter nuntius vacuuſque rediret.
„ Primum, ut opinor, cuias ſit puella vultis ſcire.
„ Si nationem quaeritis, de regno eſt; ſi patriam,
„ de Valle Colorum, oppido, quod eſt prope flumen
„ Meuſae, parentibus nata, qui agriculturae, pe-
„ coribuſque, vacarent; aetatem pueritiae ingreſſa,
„ curae pecudum eſt poſita. Vbi vero duodecimum
„ annum attigit, voce ex nube nata, ſaepenumero
„ admonita eſt, uti Regem adiret, regnoque laben-
„ ti ſuccurreret. Sed quum Anglici valido exercitu,
„ validis caſibus, ac vaſtidiis, Aurelianos obſedif-
„ ſent, non admonita tantum fuit ſuperorum ora-
„ culo, verum quoque minis adfecta, quod poenam
„ graviſſimam lueret, niſi raptim ad regem acce-
„ deret. Interroganti * proficiſceretur, quod nil vel
„ perfectam facere oporteret; reſponſum eſt, habitu
„ muliebri depoſito, virilem adſume *, qui te conco-
„ mitentur ad Regem, & conducant a Capitaneo

Vallis

„ Vallis Colorum. Profecta ubi ſis, & cum Re-
„ ge loquuta, fac liberes Aurelianos ab obſidione;
„ tunc Regem conſecrandum Remos adducas, coro-
„ nato Pariſios reddas, regnumque reſtituas. Non
„ fuit in mora puella, Capitaneum adiit, comites
„ accepit, virilem veſtem induit, & adſcendens e-
„ quum, quod nuſquam antea, iter adgreditur, at-
„ que per rura, per caſtra, per civitates hoſtiles,
„ & media hoſtium tela, ipſa incolumis, & ſociis
„ ſalvis omnibus, progreſſa, tandem ubi Rex erat
„ advenit. Ac Rex, audito adventu puellae, per-
„ ceptoque quamobrem veniat, quidve ſe facturam
„ dictaret, ſapientiſſimi Regis conſilio uſus, neque
„ contemnendam eam, neque admittendam prius
„ ſtatuit, quam experimento adgnoſceret, quid illa
„ haberet rei bonae aut malae, fictum vel verum,
„ compoſitum aut pravum. Igitur puella apud do-
„ ctiſſimos viros, velut in pugnam, in examen ad-
„ ducitur, ubi de multis arduiſque rebus humanis
„ ac divinis etiam atque etiam interrogata, nihil
„ niſi egregium & dignum laude reſpondit, ut non
„ in agris pecudes paviſſe, ſed in ſcholis litteras
„ addidiciſſe videretur. Spectaculum profecto pulcer-
„ rimum, femina cum viris, indocta cum doctis, ſola
„ cum multis, infima de ſummis, diſputat! Sed quum
„ Rex accepit quibus verbis quave conſtantia ute-
„ retur, accerſiri coram ſe iuſſit, loquentem audivit
„ diligenter. Quid loquuta ſit * nemo enim eſt qui
„ ſciat illud. Tamen manifeſtiſſimum eſt, Regem
„ velut ſpretum, non mediocri fuiſſe alacritate per-
„ fuſum. Poſthaec puella, quum divina arderet
„ praecepta adimplere, petiit, confeſtim ſibi dari
„ exercitum, quo Aurelianis ſuccurrat iam pericli-
„ tanti, cui, ne quicquam temere ageretur, negatum

 prin-

„ principio, tandem eſt conceſſum. Quo accepto „ cum ingenti copia victualium Aurelianos concedit, tranſeuntes ſub hoſtium caſtris nihil hoſtile „ percipiunt; hoſtes enim velut ex inimicis amici, „ ex viris mulieres facti, veluti cuncti ligati manibus forent, victualia in urbem tranſire aequo animo patiuntur. Delatis in urbem victualibus, „ ipſa caſtra egrediens, quod miraculum eſt, quonam „ modo, vel quam brevi ſpatio ceperit illa, praeſertim quod in medio, * quaſi pontem erectum, ita „ validum erat, & tam munitum omnibus rebus, „ ac vallatum, ut ſi gentes, ſi nationes omnium „ oppugnaſſent, non tamen poſſe capi crederetur. „ Oppugnat demum unum, & demum aliud, aeternum oppidum, quae ut erant circumamicta fluminibus, plena armatorum, & praeſidiis univerſis, nullo pacto expugnari poſſe videbantur. Quae „ quidem oppida victa haec bellatrix velut tempeſtas obruit, ac dehinc audito, Anglicos cum exercitu prope eſſe, exercitum & aciem ducit in „ hoſtes, magno animo invadit. Neque ea remota „ eſt, quod eſſent hoſtes longe numero ſuperiores; „ non potuerunt Anglici ſubſtinere impetum puellae, ita quod victi in modum pecudum uſque ad „ unum caeſi ſunt omnes. Poſthaec pronuntiat non „ eſſe ignorandum, adveniſſe tempus, quo ſuſcipienda corona regni eſſet. Eundum ergo Remos, „ quod multis non tantum difficile, ſed impoſſibile „ viſum eſt, quippe quod ab hoſtibus per eas oporteret civitates, atque locos procedere. Ac ipſae „ civitates ultro ſeſe Regi dabant. Igiturque ventum eſt Remos, & Rex, puella duce, conſecratus eſt. Ceterum ne longius progrediar, & „ paucis ſi poſſim multa perſtringam, nemo mortalium

„ lium eſt; qui ſi ipſam cogitet, non admiretur, „ dictis ſtupeat factis, & geſtis, quae tam multa & mirabilia brevi tempore egerit. Sed quid „ mirum! Quid enim eorum eſt, quae habere duces oportet in bellis, quae puella non habeat? „ An prudentiam militarem? habet mirabilem. An „ fortitudinem? habet animum excelſum, ſuperatque omnes. An diligentiam? vincit ſuperos. An „ iuſtitiam, an virtutem? Et iis praeter ceteros eſt „ ornata. Et ſi eſt conflictura cum hoſte, ipſa exercitum ducit, ipſa locat caſtra, ipſa proelium, „ ipſa aciem inſtruit, & fortiter opera militis utitur, & quod pridem opera ducis exſequitur; „ dato enim ſigno, haſtam raptim rapit, raptam „ concutit, vibrat in hoſtes, & tacto calcaribus „ equo, magno impetu in agmen irrumpit. Haec „ eſt illa, quae non aliunde terrarum profecta eſt, „ quae e coelo demiſſa videtur, ut ruentem Galliam „ cervice & humeris ſubſtineret. Haec Regem in „ vaſto gurgite procellis & tempeſtatibus laborantem in portum & littus evexit, & erexit animi „ ad meliora ſperandum. Haec Anglicam ferociam „ comprimens, Gallicam excitavit audaciam, Gallicam prohibuit ruinam, Gallicum excuſſit incendium. O Virginem ſingularem omni gloria, omni „ laude, dignam divinis honoribus! Tu regni decus, „ tu filii lumen, tu lux, tu gloria, non Gallorum „ tantum, ſed Chriſtianorum omnium. Non Hectore reminiſcat & gaudeat Troia, exſultet Graecia „ Alexandro, Annibale Africa, Italia Caeſare, & „ in Romanis ducibus omnibus glorietur Gallia. Et „ ſi ex priſtinis multos habeat, hac tamen una puella contenta audebit ſe gloriari, & laude bellica „ ceteris nationibus ſe comparare, verum quoque,

ſi. ex-

„ ſi expediet, ſe anteponere. Haec ſunt quae de
„ puella in praeſentiarum habui: quae ſi brevius
„ dixi, quam forte velitis, eo factum exſtimetis,
„ quia ſi ea fuſius dixiſſem, non in litteras, ſed in
„ librum exiiſſent. Amen.

LVdovicus cum filio Lothario, annis viginti quinque.. Huius tempore, floruit Rabanus, qui Legendam omnium Sanctorum, quae legitur per Eccleſias compoſuit (1); & Strabus eius diſcipulus (2). Puella quaedam, communione accepta in Paſchate, triennio miraculo ſe vixiſſe ſine cibo fertur (3). Ante ſolſtitium aeſtivale in Gallia orta tempeſtate cum grandine, glacies cecidit, cuius latitudo ſex pedum, longitudo quindecim, & altitudo duorum fuit (4).

(1) Hoc eſt Martyrologium, quod edidit *Caniſius Tom. VI. Lect. Antiq.*

(2) Id eſt *VValaphridus Strabo*, ſeu *Strabus*.

(3) Si id verum fuiſſet, fruſtra hoc exemplo abuterentur Heterodoxi, ut panis ſubſtantia in Chriſti Corporis ſubſtantiam in Euchariſtia non converti defenderent, ſicut aliis huiuſmodi exemplis abuſi ſunt. Ceterum ipſe novi Piſis Catharinam quamdam Brondiam Sergianenſem, cuius adgnatos Sergiani quoque novi, mirandae inediae feminam, quae nullum cibum ſumere ferebatur, atque ita aliquorum menſium

ſium ſpatio vixiſſe. Quidquid ſit, certe raro admodum, & minimo ad miraculum cibo veſcebatur.

(4) Res profecto mirabilis, quia inſolita; ſed potuiſſe contingere filii forte Philoſophorum non inficientur. Conſule *Calmetium Diſſert. de pluv. lapidea*, ubi exempla pluria imbrium mirabilium.

LOtharius Imperator, annis decem. Huius tempore Saraceni Romanorum fines dilapidaverunt, & Apoſtolorum Eccleſias deſtruxerunt; ſed poſt in Africam, unde venerant, revertentes, in alto pelago ſunt demerſi (1). Hic poſt factus Monachus, requievit in Chriſto; de cuius anima inter angelos & daemones altercatio tanta fuit, ut etiam cunctis adſiſtentibus corpus eius diſtrahi videretur; tandem, orantibus Monachis, daemones ſunt fugati (2).

(1) Conſule *Leonem* noſtrum *Chronico Pontificum*, in *Leone pag.* 142. ubi mendum inrepſit, nam non quintus dicendus erat Leo ille, ſed IV, ut ex alio Leone *pag.* 151. patet.

(2) Fabella, ut videtur.

LVdovicus ſecundus; annis viginti uno. Huius filius, tribus diebus a daemone dire vexatus, dixit, ſibi hoc accidiſſe, quia con-

contra patrem conſpiraverat. Huius tempore gens Danorum Angliam devaſtavit, & piiſſimum regem Angliae Aimundum decollavit. Hoc etiam tempore Rex Francorum filium exoculavit, quia in apoſtaſiam fuerat lapſus quum eſſet Diaconus, & quidam alter Iulianus (1) effectus.

(1) Hoc eſt Iulianus Auguſtus, ὁ παραβάτης.

CArolus ſecundus, anno uno. Hic dictus eſt Calvus. Hic multa monaſteria conſtruxit. Hic a quodam Iudaeo, nomine Sedechia, dum in Italiam de Francia pergeret, potionatus obiit (1). Huius tempore Saraceni Siciliam perdiderunt.

(1) Sedechias Iudaeus, eius erat Medicus, & veneno ei propinato, quum in itinere Italico aegrotaſſet, illum interfecit.

CArolus tertius, annis duodecim. Hic dictus eſt Groſſus. Hic zelatus eſt uxorem ſuam; & quia vidit eam nimis familiarem Vercellenſi Epiſcopo, proteſtatus eſt, ſe numquam eam cognoviſſe. Illa vero accepto repudio, ſe virginem gloriata, monaſterium intravit (1).

(1) Haec fuit Richardes, quae fruſtra poſtulavit, ut ſibi permitteretur ſaltem aut ſingulari certamine per

per Campionem, ut vocabant, a ſe deſignatum, vel candentis ferri examine, integritatem ſuam, aut pudicitiam, adprobare.

Arnulphus, annis duodecim. Hic longa infirmitate tabefactus, nulla arte potuit adiuvari, quominus a pediculis conſumeretur (1). Hic finis fuit Imperii, quantum ad poſteritatem Caroli, culpis ſuis exigentibus; filius enim Ludovicus ei ſuccedit, ſed ad coronam Imperii non pervenit.

(1) Pluria exempla eorum, qui Phtiriaſi perierunt, vide apud *Menagium* in *Diogenem Laertium* in *Pherecyde*.

Ludovicus tertius, annis ſex. Iſte Berengarium, qui tantum regnabat per Italiam, fugavit; & quum pro ipſo regnaret, Veronae capitur, & excaecatur, & Berengarius imperio reſtituitur.

Berengarius primus, annis quatuor. Huius tempore, a Gulielmo pio Principe Burgundiae, Cluniacenſe monaſterium eſt fundatum (1).

(1) Hoc eſt anno DCCCX. ut tradit *Fleur. Tom. XIV. Hiſt. Eccleſ. Natal. Alex. Hiſtor. Eccleſ.* IX. & X. *Saecul.*

Con-

Conradus Alamannus, annis ſeptem. Non fuit coronatus per Papam, & ideo non computatur inter Imperatores, nec imperavit in Italia, ſed in Alamannia. Huius tempore Saraceni Calabriam, & Appuliam, & pene totam Italiam, devaſtarunt.

Berengarius ſecundus, annis octo: Hic in Italia imperavit.

Henricus primus, annis duodeviginti. Non fuit coronatus per Papam, nec regnavit in Italia, ſed in Alamannia; ideo non computatur inter Imperatores. Huius tempore, Spitigneus (1) Rex Boemorum ad fidem convertitur. Poſt eum Venceslaus filius eius, ſanctitate praeclarus: ſed a fratre ſuo occiditur ob invidiam. Nam tantae erat ſanctitatis, quod nocte cum uno ſervo ibat ad ſilvam, & propriis humeris ligna deferebat, & clam ante fores viduarum & pauperum deponebat, & ſpicas de agro ſuo clam virga excutiebat, & manu propria faciens hoſtias, diſtribuebat Eccleſiis. Hic poſt trecentos annos ſuae paſſionis adparuit Henrico Regi Dacorum (2), indicans nomen

ſuum,

ſuum, & praedicens, quod ſua morte deberet mori (3); & monaſterium conſtrui ſuo nomine iuſſit. Et perquirens excitatus, quis eſſet Venceslaus ab Epiſcopis audito, monaſterium ad ipſius honorem conſtruxit; ſed antequam conſummaſſet, a fratre ſuo Abel, ſicut Sanctus revelaverat, eſt occiſus.

(1) *Spereneus* habet Codex Riccardianus MS. *Martini Poloni*.

(2) Hoc eſt Danorum, qui Daci vulgo per ea tempora vocabantur, ut iam ad Chronicon Pontificum *Leonis* noſtri obſervavimus *pag.* 93. quamquam minus vere *pag.* 148. credidimus *Danos* eſſe legendum; nam Dani tantummodo Dacorum nomine intelligendi ſunt.

(3) Sic habet etiam Codex MS. Martini; ſed tamen narrationis contextus requirere videtur, ut ita legamus: *Quod non ſua morte deberet mori*. Sic *Virgilius IV. AEneid.*

Sed quia nec fato, merita nec morte peribat.

Berengarius tertius, annis ſeptem. Huius tempore magnum ſchiſma fuit in Italia.

Lotharius ſecundus, annis duobus. Ipſius tempore ſol factus eſt ſicut ſanguis (1); &

& poſt modicum magna caedes hominum eſt ſequuta.

(1) Defecit ſcilicet: fruſtraque creditur, exitia hominibus cladeſque huiuſmodi defectibus portendi, quod tamen indicare velle videtur *Leo* noſter admodum credulus.

BErengarius quartus, cum filio ſuo Alberto, annis undecim. Hunc Otho Rex Alamanniae ſuperavit; & Reginam, quam ipſe captivaverat, relictam Lotharii liberavit, & in uxorem adſumſit; & Italiam ab eius tyrannide liberavit, & ipſum miſit in exſilium: poſteaque a Papa vocatur, & ſolemniter coronatur. Huius tempore fuit mulier in Vaſconia ab umbilico ſurſum diviſa, duo pectora habens, & duo capita, & multo tempore vixerunt, nec uno tempore mortui ſunt.

OTho primus, annis duodecim. Hic fuit primus Imperator de gente Teutonicorum; & ex tunc fuerunt inde Imperatores. Hic quum Ioannes Papa eſſet depoſitus propter infamiam, & ſanctus Leo acclamatus, & Romani Benedictum creaſſent, Ro-

Romam potenter veniens, eumdem ſecum duxit, & Leonem in ſede repoſuit (1).

(1) Conſule *Leonem* noſtrum *Chronic. Pontific. pagin.* 156. in *Ioanne*. Huius Othonis tempore contigiſſe innitur, licet poſteriori manu, quod in ſequenti antiquo inſtrumento narratur; quod quidem a doctiſſimo Abbate *Fulgentio Nardio* ſaepe a nobis laudato, mecum communicatum, ideo profero, quia ex eo multa cognoſci poſſunt, quae illius ſaeculi ritus, opiniones, & hiſtoriam, illuſtrent. Illud igitur ita habet:

Temporibus Octonis Regis. In Dei nomine, & S. Thomae Apoſtoli, coniuncti ſumus uno animo Eriprandus Presbyter, & Petrus presbyter, cum aliis fratribus Teutonicis, & tanto amore conſtituti, ut non velimus nos, non poſſimus, ſeparare, poſtquam coniunximus nos in via S. Petri, & ideo ordinavimus manere ſimul, & ſervire Deo, & aedificare Oratorium S. Thomae; & Oſpitium pauperum in deſerto Alpis; quam devotionem Gualkerius voluit habere nobiſcum, ideoque duximus nos in ſuam proprietatem in loco, qui vocabatur Fons Bona, & Fons Spina, & Fons Vallis, & ſuper Fontem Bonam non longe iactura lapidis, deſignavimus Oratorium Sancti Thomae, & domum, non ſine adiutorio ipſius Gualkerii, ubi multa mala perpeſſi ſumus Deo volente. Quoniam in primo anno exſiccatus eſt Fons Bona, quae prior erat, & in ſecundo exſiccatus eſt alius fons, qui erat ſub

Spino, in tertio anno exſiccatus eſt alius fons, qui erat in alia valle, in quarto anno in tempeſtate noctis, quum eſſemus intus, cecidit a vento totum Oratorium, & domus, & eſt a Deo, ut non moreremur, & nullus noſtrorum praeter noſtrum famulum Iohannem laeſus eſt; ipſe vero fugiens cecidit, & fregit brachium, & evaſit nobiſcum. Deinde fecimus triduanam, ut Deus oſtenderet nobis, quid vellet de nobis facere; & oſtendit nobis iudicium ſuum, & elevato vento, elevate ſunt de ſcindol. fere centum, & delate ſunt in loco, qui vocatur Area bucculi. Ivimus ad Mainardum, qui erat frater eius Gualkerii, & annuntiavimus quid Deus fecit, & eſtimavimus per illut ſignum, quod Deus vellet ibi habere domicilium ſuum, & onorem in illa. Conſilio habito dedit locum illum de Area bucculi ad conſtruendum ibi Eccleſiam in nomine S. Trinitatis, & Sancte ✠, & Sancte Marie, & Sanctorum Apoſtolorum, & Sancti Benedicti, & aliorum ſub ditione Dei, remota omni dominatione terrenorum hominum. Ibi erat fons prope, qui dicebatur Febricitans, & ibi erat acervus lapidum a ruſticis poſitus ut non biberet aliquis homo de ipſa fonte propter febres; deinde exſtirpavimus locum, & edificavimus ibi Oratorium in nomine S. Trinitatis, & aliorum Sanctorum, & detulimus nobiſcum altare illuc, & conſecratum, & ✠, & aquam ſanctam, atque incenſum cum proceſſione diſcalceatis pedibus, & .... populo omne, & remundavimus fontem de lapidibus ei ſuperpoſitis, & impoſita tabula ſuper fontem celebravimus ſacrificium in onore individuae Trinitatis, & benediximus fontem, unde mutato nomine Area bucculi, deinceps Eccleſia S. Trinitatis de fonte benedicto vocaretur. Dehinc nullus leſus eſt ab illo benedicto fonte, ſed aliqui febricitantes bibentes, exinde ſana-

ſanati ſunt, & ſic Fons benedictus dictus eſt. Deinde non poſt multos dies quidam Monachus nobis obvians in proceſſione laboris noſtri, hoſpitio ſuſceptus, & ..... Eriprandus presbyter Monachus ab eo factus eſt, nos autem a praedicto Eriprando monachati ſumus, & Monaſterium edificatum eſt. Hec autem ideo ſcripſimus, ut non ignorarentur actus noſtri, & initium noſtre converſationis, & miſerie, & calamitates noſtre a Fratribus venientibus, ut oblationes ſuas Deo cum orationibus pro nobis peccatoribus ſemper offerant uſque in finem ſeculi, & pro ipſo Mainardo, qui iſtum locum dedit, & pro omnibus fidelibus vivis, & defunctis, ut ſemper ſciretur quoniam Deus ſua oſtenſione voluit, & ordinavit initium huius noſtri edificii in onore nominis ſui, & in deſtructionem alterius edificii prius facti: ad laudem videlicet Dei, omniumque habitantium inibi quietem, & defenſionem, quatenus propter ipſum Deum, nullus hominum, neque Clericus, neque Laicus, tam divinum opus audeat inquietare, ipſo adiuvante, & defendente, qui in Trinitate perfecta vivit, & regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

Agitur in hoc de exordiis Monaſterii Sanctiſſimae Trinitatis in Apennino, quod quidem antiquiſſimum eſt; & monumentum hoc in Archivo Vallis Vmbroſae exſtat.

OTho ſecundus, annis viginti. Hic in pugna cum Agarenis, qui fines Calabriae invaſerant, ſuperatus, ſolus ad littus fugit, ubi rogat, ſe Imperatoris militem in navi recipi; nautae eum Imperatorem cognoſcentes, volebant eum in Graeciam

ad Imperatorem Conſtantinopolitanum ducere; ſed ipſe dolens dixit nautis: *Primo in Siciliam pergamus , ubi infinitos habeo theſauros abſconditos*; & ſic illi, pecunia decepti ſcilicet , cum eo in Siciliam pergunt. Nam recommendans ſe uni probo Epiſcopo, omnes nautas , ſcilicet centum quadraginta , occidit, & meritis Beati Petri evaſit, cui ſe recommendaverat (1) . Hoc tempore Sanctus Albertus Bohemus Epiſcopus, & martyr floruit.

(1) Conſule *Platinam* in *Benedicto* VII. qui ſcribit non ab Agarenis, ſed a Graecis Othonem ſuperatum ſalutem fuga ſibi quaeſiviſſe: at res eodem recidit, nam Agareni cum Graecis foederati erant. *Io: Villanius Lib.* IV. *Cap.* I.

OTho tertius, annis undeviginti. Hic Creſcentium Romanorum Conſulem (1), in Caſtro Sancti Angeli obſeſſum, capite truncavit, quia Gregorium Papam depoſuerat, & Ioannem conſtituerat; Papam vero exoculavit , & mutilavit. Poſt hoc (2) inſtitutum eſt , ut non per ſucceſſionem ſuccederent Imperatores , ſed per electionem ſeptem eligentium, ſcilicet Archiepiſcopi Maguntini , Trevirenſis, Colonienſis, & Palatini Dapiferi, Ducis Porti-

to-

toris enſis, Marchionis Praepoſiti Camerae, Pincernae Bohemi.

(1) Conſule *Leonem* noſtrum *Chronic. Pontific. pagin.* 161. 162. & *Platinam* in *Gregorio V.*

(2) Quantum temporis heic *poſt hoc* ſignificet, non vacat inquirere, ſed certum eſſe videtur, Septemviros, ſeu Electores Imperatorum, ſub Friderico II. ius eligendi Imperatores obtinuiſſe, quod late probat *Natal. Alexander Tom.* VI. *Hiſt. Eccleſiaſt. Differt.* XVII. *in* IX. *&* X. *ſaecul.* Id tandem Carolus IV. anno MCCCLVI. Bulla aurea ſanxit, ut firmum perpetuo maneat.

HEnricus ſecundus, Imperator, annis duodecim. Hic ſororem ſuam Stephano Regi Hungarorum dedit, & ipſum cum toto Regno ad Chriſtum convertit. Hic ſoli Deo vacare cupiens, cum uxore ſua Cunegunde in virginitate permanſit (1); & ambo miraculis coruſcant in Eccleſia Bambergenſi ſepulti.

(1) Adi *Platinam* in *Benedicto* VIII. Henrici huius Diploma, hiſtoriae illuſtrandae, & exornandae cauſa proferimus.

In nomine Sanctae, & individuae Trinitatis. Henricus divina favente clementia Romanorum Imperator Auguſtus. Quod locis divino cultui mancipatis noſtrae liberalitatis munere conferimus, id nobis ad aeternae retributionis remunerationem prodeſſe minime diffidimus.

Cognoſcat igitur omnium fidelium S. Dei Eccleſiae ſeu noſtrorum, praeſentium ſimiliter futurorumque ſolertia, qualiter nos interventu ac petitione Cunigundae Imperatricis, noſtraeque dilectae Coniugis, per hanc noſtri praecepti paginam, prout iuſte, & legaliter poſſumus, confirmamus, & corroboramus Monaſterium S. Salvatoris, quod eſt in loco, qui dicitur Fontana Taonis, una cum Abbate nomine Ioanne cum omnibus Monachis ibi Deo famulantibus, ſcilicet cum omnibus eorum rebus, & proprietatibus ac terris, vineis, pratis, paſcuis, ſilvis, paſcuationibus, cultis rebus, vel incultis, quod quondam Bonifacius Marchio pro remedio animae ſuae ibidem contulit, nominative Caphagio, *quod vocatur* Bonifazingo, *& quod nos pro Dei amore donamus in uſum, & ſumtum illorum, in loco eo nuncupato* Stacano, *cum omnibus ad eamdem villam pertinentiis, & in* Bagio *quidquid pertinet noſtro regali Dominio, & Alpem ubi praefatum Monaſterium ſitum eſt, ab Eccleſia Sanctae Mammae, & ab his, vel infra his ſcilicet locis Colles* Bolagii, Petra Botiliaria, Capita Lentule, Terra de Fraſſino, *cum omnibus Vallibus, & Collibus ſuis, aquarumque decurſibus in* Lementria, *mittentes* Rioli *loco qui dicitur* Canile, *& via publica* Colline, *haec omnia infra praeſcripta loca vel territoria pertinentia; montes ſcilicet, colles, cum vallibus, aquae, cum aquarum decurſibus, & cum omnibus rebus, ac eorum ſubſtantiis, vel quod idem locus mereretur habere in antea per dationem Religioſorum, ſeu devotarum feminarum collatum exſtiterit confirmamus, per noſtrae Auguſtalis potentiae *, ea ſcilicet ratione, quatenus praedictus Abbas ſuique ſucceſſores ſeu Monachi in eodem Monaſterio Deo militantibus in uſum, & ſumtum praedictas res habeant, teneant, poſſideant, fruanturque iure perpetuo, omni contradictio-*

ne

ne remota. Inſuper praecipientes iubemus, ut nullus Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, Gaſtaldus, Decanus, ſeu ulla Regni noſtri magna parvaque perſona praelibatum Abbatem ſuoſve ſucceſſores inquietare, moleſtare, aut diſveſtire praeſumat de omni praedicta re. Si quis autem huius praecepti noſtri violator exſtiterit, ſciat ſe compoſiturum auri optimi libras centum, medietatem Camerae noſtrae, & medietatem praefatis Monachis in ſupradicto Monaſterio eo tempore Deo militantibus. Quod ut verius credatur, & diligentius ab omnibus obſervetur, manibus propriis roborantes Sigilli noſtri impreſſione iuſſimus inſigniri.

Signum Domini Henrici invictiſſimi Imperatoris.

Henricus Cancellarius vice Everardi Epiſcopi, & Archicancellarii recognovit.

Locus Sigilli.

Datum Anno Dominicae Incarnationis MXV. Indictione XII. Anno Domini Henrici Imperatoris Auguſti regnantis XII. Imperii eius. Actum in Comitatu Piſano in Villa quae vocatur Papiano feliciter. Amen.

Heic animadvertendum eſt in numeris errorem, Librarii forte incuria, inrepſiſſe; nam annus MXV. nec indictione XII. notabatur, nec XII. erat Imperii Henrici I. utpote qui anno tandem MXIV. coronatus fuerit. Conſule de his difficultatibus *Guidonem Grandium*, Abbatem doctiſſimum Camaldulenſem *Diſſertat. II. Camaldul.* & *Fidelem Soldanium* Monachum Vallumbroſanum in *Quaeſt. Hiſtoric. Vallumbroſanis*.

Huiuſmodi quaedam Etruſcae hiſtoriae conſulturus Imperatorum, aliorumque Principum, Diplomata ad huius Chronici inſtrumentum & ornamentum, opportune editurus ſum; pluria quidem publici iuris facturus, ſi vel per otium, vel per Dominorum humanitatem, & facilitatem, ea in Archivis perquirere, & exſcribere, colligereque, licuiſſet. Ceterum heic ἀνέκδοτα fere produco, quum alia obvium cuique ſit apud clariſſimos Scriptores, qui huiuſmodi monumenta collegere, & typis deſcribenda curaverunt, offendere. Quo tamen pro virili portione Etruſcam hiſtoriam iuvem, fert animus heic ſaltem indicare vetuſta Diplomata, & Inſtrumenta, quae in hiſtoriis percurrendis in meam notitiam pervenerunt, & quae res Tuſcas attingunt, & quo quaeque loco, aut volumine, inveniri poſſint, ſignificata etiam Diplomatis materia, & argumento. Sed ut id omne ordine, & certa ratione, fiat, decrevi huiuſmodi notitias in Chronologicam ſeriem digerere, & praecipuis ac ſelectis quibusdam Etruſcae hiſtoriae capitibus eadem methodo ordinatis atque deſcriptis apte idemtidem interſerere. Nam ut facilem horum veterum monumentorum intelligentiam Lectoribus univerſis efficerem, quatuor mihi potiſſimum commentanda ac perficienda eſſe primore adſpectu intellexi. Primum, Gloſſarium quoddam vocum Barbararum concinnare, quo cuiuslibet dictionis ſignificatus multis ignotus declaretur. Secundum, Indicem quemdam Geographicum componere, in quo proclive ſit tot obſcurorum, & pleriſque inauditorum locorum, Vrbium, Oppidorum, Vicorum, Caſtrorum, Fluminum, Montium, Agrorum, nomina, ſitus, conditionem, reperire. Tertium, ſpecimen quoddam generale Civi-

lis

lis regiminis, quod Barbaro aevo in Italia obtinebat, exhibere. Quartum tandem, ſumma quaedam Etruſcae hiſtoriae capita delibare, & excerpere, atque ſecundum annorum ſeriem deducta, legentium oculis ſubiicere: ea ſcilicet, quae ad Diplomatum intellectum, & declarationem, magis conferre poſſe videantur. Priora duo, vel in Prolegomenis huius tomi praeſtabimus, vel in aliud volumen, & haud quidem temere, reiiciemus. Duo vero poſteriora nunc expediemus: & horum primum vir doctrina, & diligentia, conſpicuus *Car. Sigonius*, eius heic adlatis verbis, dilucide ac breviter exſequetur. Si quis enim notitiam huiuſmodi prolixiorem, & Etruſcis rebus, ut vere dicam, congruentiorem deſiderat, doctiſſimum, & exactiſſimum *Fr. Mar. Florentinium Lib. III. Memorabilium Mathildae* adeat, ubi de univerſa Etruriae politia, quae X. XI. & XII. ſaeculo viguit, eleganter, & explicate, diſſertat. *Sigonius* igitur *Libro VII. De Regno Italiae ad annum* 973. ita infit: *Reliqua Italiae regi adiunxit* (hoc eſt Otho). *Regni vero civitates pleraſque liberas, tributarias omnes reliquit. Nam quarumdam etiam perpetuos, ut ſcripſi, Marchiones, aut Comites, ſuperiore ſibi reſervato iure, conſtituit. Libertatem autem civitatum in eo fere poſuit, ut leges, conſuetudines, iurisdictionem, magiſtratus, vectigalia ſui ferme iuris, atque arbitrii haberent; ita tamen ut ſacramentum Regibus dicerent. Quocirca alios ſibi Praefectos Rex, alios Civitates ipſae conſtituerunt. Ac quos quidem Rex ad iura reddenda, & populos in fide continendos, in Provinciis collocavit, ii Miſſi, ſive Nuncii, ſive Legati Imperatoris, vocati. Quos vero Populi ad regendam civitatem, & iura moderanda, poſthac crearunt, ii Conſules duo, aut plures fuerunt, ex antiqua Roma-*

nae

nae Reipublicae conſuetudine ſumti ; qui quotannis ex ſingulis civitatibus creati aut apud Epiſcopum civitatis , aut apud Nuncium Regis , iurarunt ; atque eos ante Friderici ipſius primi Imperium praetoribus peregrinis , quas Poteſtates dixerunt , ac vulgo poſt uſurparunt , praetulere . Vnde merito Otho Friſingenſis Friderici ipſius aequalis ſcripſit : In Civitatum inſtitutione ac Reipublicae conſervatione antiquorum Romanorum ſolertiam ita imitati Lombardi ſunt , ut Imperii inſolentiam fugientes , Conſulum potius , quam Poteſtatum regi voluerint arbitrio . Tributa vero quae illa a Francis inſtituta retinuit , fuere Foderum, Parata , & Manſionaticum . Foderum ſumma quaedam frumenti fuit , quam advenienti in Italiam Regi Populi ſolvere tenebantur , pro quo ſaepe etiam aeſtimata pecunia pendebatur . Parata , ſumtus , quos iidem in vias ponteſque fluminum , qua tranſiturus , aut quo aditurus, Rex erat , reficiendos impendere : Manſionaticum ſumtus in tecta , & cetera quae regis exercitui in agro hoſpitanti neceſſaria praebere , iubebantur . Siquidem tantum Regibus ius terrae tributum , eſt ut ex omnibus , quae ipſa ferre ad uſum hominum neceſſaria ſolet , exceptis bobus , & ſeminibus ad colendam terram idoneis , quantum opus militibus fuerit ad regios uſus ſuppeditatum ſit . Hunc autem in modum quum Otho Regni civitates inſtituiſſet , tum privatos etiam homines praecipuo beneficio ſibi complectendos ſive ad utilitatem , ſive ad dignitatem , putavit . Siquidem more a Francis accepto fortiſſimum quemque militiae ſuae adſcribere , eoſque , qui ſtrenuam ſibi , fidelemque operam navaſſent , regalibus ſuis inſignire inſtituit . Erant autem Regalia dignitates , & praedia , quae Rex benemeritis ad arbitrium concedebat . Dignitates , ut Duces , Marchiones , Comites , Capitanei , Valvaſores ,

&

& Valvaſini ; Praedia ut vectigalia , telonea , portus , ripatica , pedatica , monetae , piſcariae , molendina , ſalinae , fluminum uſus , & omnis proficiſcens ex illis proventus , & quae generis erant eiuſmodi. Duces erant , qui Ducatum ; Marchiones qui Marchiam ; Comites , qui Comitatum a Rege in feudum acceperant. Capitanei , qui a Rege , aut Duce , Marchione , Comiteve plebem , plebiſque partem ; Valvaſores , qui a Capitaneis ; Valvaſini , qui a Valvaſoribus , acceperant. Quorum tres priores Capitanei regis , reliqui Valvaſores maiores , minores , & minimi quoque vocati ſunt. Vnde nova nobilitatis ratio in Italiam eſt inducta , ut ii demum ſoli nobiles iudicarentur , qui ipſi , aut eorum maiores his , atque eiuſmodi aliis honeſtati privilegiis eſſent. Nam hanc conſuetudinem ſucceſſores eius non ſolum non omiſerunt , ſed etiam multis partibus adauxerunt , ſive ut gratiam praefectis ſuis , ac militibus , pro opera in bellis egregie navata referrent ; ſive ut eos ſibi potiſſimum clientes devincirent , quorum virtute eam regionem continere in fide poſſent. Atque hos quidem Feudatarios , Vaſallos , Homines , ac Fideles, vocarunt. Erat autem Feudum, ſive Hominium , ſive Homagium, ius , quod Reges , aut qui a Regibus acceperant , cum dignitate , aut praedio aliquo beneficii nomine ac lege alicui detulerunt , ut & ipſe , & ejus poſteri heredes ſe ipſos beneficii eius auctores perpetuo adgnoſcerent , ac pro Dominis colerent , ſuumque caput exiſtimationem fortunaſque iurati defenderent. Qui vero Feudum contulerunt , ii Domini , & Seniores vocati ſunt. Hactenus doctiſſimus *Sigonius*, cuius verba incredibilem lucem Synopſi hiſtoricae , quam ſubiecturus ſum, foenerabuntur , non minus quam Diplomatis a me edendis , quae pariter hic brevi Commentario hiſtorico memorato , ex claſſicis , & etiam ine-

ineditis Scriptoribus excerpto, illuſtrare conabor. Auctores, quibus uſus ſum apte omnes, & opportune, laudabuntur, ad eoſque tamquam ad fontes digito indicatos, ut ardentiorem ſitim expleat, unuſquiſque recurrere poterit.

SELECTA ET CHRONOLOGICA

Rerum ab Imperatoribus, Regibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Vicariis, Capitaneis, Miſſis, ſeu Nunciis, Civitatibus, & Populis, in Etruria geſtarum.

SYNOPSIS.

An. AEr. Vulgaris.

774. Carolus Magnus primum Romam proficiſcitur. *Anaſtaſius Bibliothecarius, & Epiſtola LVIII. Hadriani Papae ad Carolum M.*

775. Regimbaldus Dux Cluſinus. *Coſmas de Arena Serie Duc. Etruriae.*

776. Reginaldus Dux Cluſinus: forte idem cum ſuperiore. *Coſmas* laudatus.

781. Allo Dux Etruriae. *Coſmas de Arena* ex *Inſtrumento.* Hic Monaſterium quoddam Lucae aedificavit, ſed incertum quo anno. *Idem ex Diplomate Bullar. Caſinens.* Carolus Magnus Romam iterum contendit. *Appendix Chronici Nibelungi Comitis, Annales Laureshamenſes, Vita Caroli Magni ab Anonymo ſcripta.*

782. Allo Etruriae Dux quum Lucae eſſet quae-

dam

An. AEr. Vulgaris.

dam bona cum quibusdam Eccleſiis permutat. *Florentinius Lib. III. Memor. Mathild. ex Inſtrumento.*

785. Allo Dux Eccleſiam S. Petri Lucae, Ioanni Epiſcopo adiudicat. *Florentinius Lib. III. ex Inſtrumento.*

786. Carolus tertio Romam ſe confert, & partem Tuſciae Longobardicae Sedi Apoſtolicae donat. *Conſtitutio Ludovici Pii, qua Donationes Avi, & Patris confirmat, augetque.* Carolus Magnus quaedam bona Eccleſiae S. Miniatis Florentiae donat antequam Imperator electus eſſet, ſed incertum quo anno. *Borghinius Diſſert. de Deſtruct. & reaedificat. Florentiae.*

787. Gundibrandus Florentiae Dux Curtem Saſſentinam ad Monaſterium S. Hilarii in Calligata pertinentem invadit, & occupat. *Epiſtola Hadriani I. ad Carolum Magnum.* Carolus Magnus diem I. Ch. D. N. natalem Florentiae celebrat. *Annales Francorum.*

796. Roma cum Ducatu Romano ſponte Carolo Magno ſe dedit. *Monachus Engoliſmenſis, Annales Laureshamenſes, incertus Auctor vitae Caroli M.*

800. Carolus Magnus quarto Romam petit, & Imperator proclamatur. *Eginhardus, Anaſtaſius, Annales Laureſhamenſes.* Decretum Leonis III. Pontificis in controverſia inter Epiſcopos Arretinum, & Senenſem vertente confirmat, ut conſtat

ex

An. AEr. Vulgaris.

ex *Diplomate* apud *Vghellium Ital. Sacr. in Epiſcop. Arretinis* , *&* *Buralium* pariter in *Epiſcop. Arret.* Wicheramus Etruriae Dux, & Comes, ab Epiſcopo Lucano Eccleſiae cuiusdam, ut eam reſtauret, inveſtituram accipit: huius uxor Mona vocabatur. *Florentinius Lib. III. ex Inſtrumento*.

811. Wicheramus una cum Mona uxore Templum in ſuo Vetronianae agro aedificat. *Florentinius ex Inſtrumento*.

813. Bonifacius Comes Lucae, Wicheramo ſuccedit, & ab Imperatore in Corſicam Inſulam Praefectus mittitur. *Florentinius Lib. III. ex antiquis Tabulis*, *&* *Vitae Ludovici Pii Scriptore*, *&* *Eginharto*. Sed *Coſmas de Arena Ser. Duc. Etrur.* probabiliter cenſet alium fuiſſe Bonifacium illum, qui in Corſicam a Ludovico Imperatore miſſus eſt.

814. Ludovicus Pius Coenobio S. Anthimi in agro Senenſi ſito Vicum quemdam, & alia bona, donat. *Diploma* apud *Vghellium in Epiſcop. Senenſ.* *&* *Thomaſium. Lib. IV.*

816. Ludovicus Pius Coenobio Montis Amiatis in agro Cluſino ſito omnia bona, iura, & privilegia, a Carolo Magno conceſſa, confirmat. *Diploma* apud *Vghellium in Epiſc. Cluſinis*.

822. Ildeprandus, Lucae Comes, per Garipertum Locomiſſum Lucae ius dicit. *Florentinius Lib. III.*

823. Bonifacius Bonifacii Comitis F. & frater Ri-

An. AEr. Vulgaris.

Richildae Abbatiſſae, Lucae Comes. *Diploma* apud *Coſmam de Arena*.

826. Ludovicus Pius Arretium, Volaterras, Cluſium, Florentiam, Piſtorium, Lucam, Piſas, Peruſium, & Vrbem veterem, Etruriae Civitates, Romano Imperio ſubiectas ſuis litteris declarat. *Platina, in Paſchali III.*

833. Lotharius Imperator Eccleſiae Arretinae Eccleſiam quamdam in agro Arretino in honorem D. Petri exſtructam concedit. *Diploma* apud *Vghellium* in *Episcop. Arret.*

834. Bonifacius Comes Iuditham Auguſtam ad Ludovicum Imperatorem reducit. *Anonymus Vitae Ludovici Scriptor*.

838. Aghanus Lucae Comes. *Antiquae Tabulae* apud *Florentinium Lib. III.*

840. Aghanus Comes, Lucae ius dicit. *Coſmas de Arena ex Inſtrumento*.

845. Lotharius privilegia a Ludovico, & Carolo Magno, Eccleſiae Volaterranae conceſſa confirmat. *Diploma* apud *Sc. Ammiratum* in *Episcop. Volaterranis*.

847. Adalbertus Comes, Dux, & Marchio, Etruriae. *Florentinius Lib. III. ex Tabulis vet.*

851. Ludovicus Imperator Eccleſiae Volaterranae duos Mercatus, ſeu Nundinas, a Lothario patre ſuo conceſſos confirmat, & alios duos indulget. *Diploma* apud *Vghellium* datum Colon. Palatio regio, & apud *Ammiratum*.

853.

An. AEr. Vulgaris.

853. Adalbertus Dux, Imperatoris iuſſu, una cum Ioanne Epiſcopo Piſano, & Guarberto Miſſo Imperiali, bona quaedam Ieremiae Epiſcopo Lucenſi reſtituenda curat. *Coſmas de Arena ex Inſtrumento.*

854. Lotharius Coenobio Amiatino privilegia confirmat. *Diploma* apud *Vghellium* in *Epiſcopis Cluſinis.*

858. Comes Ildeprandus Lucae ius dicit. *Florentinius Lib. III.*

860. Ludovicus Imperator Eccleſiae Volaterranae privilegia ab anteceſſoribus conceſſa confirmat, & in tutelam recipit, immunitatesque concedit. *Diploma apud Ammiratum*, datum Coriano anno Ludovici XV. indict. VIII.

863. Guido Tuſciae Dux. *Erempertus Chronologus.*

865. Winigiſus Comes, Lucae ius dicit. *Florentinius.*

866. 867. Adalbertus Comes, Bonifacii Comitis F. Lucae ius dicit. *Florentinius. Lib. III.*

867. Winigiſus Senae Comes. *Coſmas de Arena ex Inſtrumento.*

869. Adalbertus Marchio Lotharium Lotharingiae Regem in Etruria excipit. *Coſmas de Arena.*

870. Adalbertus Marchio permutationes quaſdam bonorum concedit. *Florentinius Lib. III. & Coſmas de Arena.*

872. Ludovicus Imperator conſtituit Miſſos, Epiſcopos Piſtorienſem, Florentinum, & Piſanum, Adalbertum Comitem, & Mar-

An. AEr. Vulgaris.

Marchionem, & Ildebrandum Comitem una cum Vbaldo fideli, ut inquiſitione facta res Eccleſiae Lucanae ſubtractas, & ablatas, reſtituendas curent. *Diploma* datum anno XXI. Ludovici, Indict.V. apud *Florentinium, & Vghellium in Epiſcopis Lucenſibus, & Coſmam de Arena.*

873.
874. } Adalbertus adhuc imperat. *Coſmas de Arena ex Inſtrumento.*
875.

876. Privilegia Ludovicus Eccleſiae Arretinae concedit. *Diploma a Buralio* laudatum.

878. Adalbertus Carolomanno favet. *Florentinius, & Coſmas de Arena.* Carolomannus Italiae Rex Eccleſiae S. Martini Lucenſi Eccleſias SS. Vincentii, & Silveſtri iamdiu iniuſte ablatas adiudicat. *Diploma* datum Veronae.

881. Adalbertus Tuſciae Dux permutationes quorumdam bonorum Eccleſiaſticorum fieri permittit. *Florentinius Lib. III.*

883. Carolus Craſſus Arretino Epiſcopo aedificandi, & ampliandi Arretinum Epiſcopium facultatem concedit. *Diploma a Buralio* adlegatum. Wido Etruſcus Comes. *Annales Fuldenſes.* Hic deinde Imperator creatus eſt. *Coſmas de Arena.*

884. Adalbertus Comitis Bonifacii F. Lucae quum eſſet Monaſterio Aulae in Luniſiana bona pluria donat. *Inſtrumentum apud Coſmam de Arena.*

887. Marchio Adalbertus Adalberti F. opibus

E in

An. AEr. Vulgaris.

in Italia praeſtat, ad hunc honorem Francorum Regum beneficio evectus. *Sigonius de Regn. Italiae Lib. VI.* & *Coſmas de Arena.*

889. Wido Etruſcus Rex, Adalberto Etruriae Marchione, eius Nepote, deprecante, Feſulanae Eccleſiae multa bona concedit, atque confirmat. *Diploma* apud *Vghellium in Epiſcopis Feſulanis.*

895. Arnulphus Imperator ſui exercitus partem Bononia per Apenninum Florentiam ire iubet. *Sigonius De Regno Italiae Lib. VI.*

896. Arnulphus Imperator Monaſterio Amiatino varia privilegia indulget, & ab anteceſſoribus conceſſa rata habet. *Diploma* apud *Vghellium in Epiſcopis Cluſinis.*

897. Adalbertus Marchio una cum Amedeo Comite Palatii Florentiae ius dicit. *Florentinius Lib. III. ex antiquis Tabul.*

898. Lambertus Imperator latifundia quaedam ad Florentiam ſita Griſulpho Florentino Epiſcopo donat. *Diploma* apud *Vghellium in Epiſcop. Florentinis.* Epiſcopo Arretino Privilegia ab anteceſſoribus conceſſa confirmat. *Diploma a Buralio* laudatum.

899. Berengarius Rex donationem a Lamberto Imperatore Epiſcopo Florentino factam renovat, atque confirmat. *Diploma* apud *Vghellium in Epiſcopis Florentinis.* De Berengario, & Adalberto ita in antiquo inſtrumento ſcripto anno DCCCCXCIII. Grimoaldum Piſanum Epiſcopum loquentem

An. AEr. Vulgaris.

tem invenio apud *Vghellium : Contigit itaque Adalbertum illuſtriſſimum, & magnum Marchionem per id tempus, & iuſſionem Berengarii magni atque praeclari Regis generalem placitum habuiſſe, in quo reſidebat cum eo Odelbertus Epiſcopus Civitatis Lucenſis Miſſus; & diſcurrens per totam Tuſciam, & Iudices, ceterique boni homines cum eo, &c.* Adalbertus Lucae quibusdam Eccleſiaſticorum bonorum permutationibus adſenſum praeſtat. *Coſmas de Arena ex Inſtrumento.*

900. Adalbertus Tuſciae Marchio, cuius uxor Berta, Berengario contrarius eſt, & infeſtus. *Sigonius De Regno Italiae Lib. VI. & Florentinius Lib. III.* Adalbertus Cathedrali S. Martini Lucenſi omnes decimas ditionis Lucenſis dono dedit; idque Berta eius uxor ratum eſſe voluit. *Diploma* apud *Vghellium, & Florentinium*, in quo Curtes nominantur, Luca, Brancore, Carfagnana, Peſcia, Sanctus Geneſius. Ludovicus Imperator privilegia ſuorum anteceſſorum Eccleſiae Arretinae conceſſa confirmat. *Diploma* adlegatum *a Buralio in Epiſc. Arret.* Ludovicus III. Imperator una cum Papa Benedicto IV. Romae ius dicens, bona, quae Eccleſiae Lucenſi extorta fuerant, reſtitui iubet. Inſtrumentum ſcriptum anno I. Ludovici Indict. IV. apud *Vghellium, & Florentinium*. Berengarius Rex privilegia

An. AEr. Vulgaris.

a Carolo Magno aliiſque Imperatoribus Eccleſiae Lunenſi conceſſa confirmat. *Diploma* apud *Vghellium* Papiae datum Indict. III. anno Berengarii XII. Alius Adalbertus Dux Lucenſis eſt. *Coſmas de Arena*.

902. Adalbertus Marchio Ludovicum III. Imperatorem, quum Etruriam luſtraret, Lucae magnifice, & luxu incredibili, excipit. *Luitprandus Lib. II. Cap. XI. Sigonius De Regno Ital. Lib. VI.*

910. Adalbertus bonorum Eccleſiaſticorum permutationes Lucae permittit. *Coſmas de Arena ex Inſtrumento*.

915. Berengarius Romam tendens Lucae ab Adalberto honorifice excipitur. *Antiquum monumentum apud Florentinium Lib III.*

916. Adalbertus Dux moritur, & Guido filius ſuccedit. *Coſmas de Arena*.

917. Adalbertus Marchio moritur, & Wido eius filius in Etruriae Marchia ſuccedit; quem tamen Berengarius, exercitu in Etruriam miſſo, una cum matre Berta capit, & Mantuanis cuſtudiendos tradit. *Sigonius De Regno Ital. Lib. VI.*

925. Berta Adalberti Marchionis uxor moritur. *Eius Epitaphium in Cathedrali Lucenſi* apud *Vghellium*.

926. Marocia Alberti uxor vidua, Widoni Tuſciae Marchioni nubit. *Sigonius De Regno Italiae Lib. VI.*

928. Wido moritur, & frater eius Lambertus Tuſciae ditionem excipit. *Sigonius De Reg. Ital.*

An. AEr. Vulgaris.

Ital. VI. At *Florentinius Lib. III.* Tabulas antiquas laudat ex quibus conſtat Widonem hoc anno in vivis fuiſſe.

929. Hugo Italiae Rex Eccleſiae Volaterranae Montem Turris largitur. *Diploma ab Ammirato* laudatum.

931. Hoc anno *Fleurius Lib. LV. Hiſtor. Eccleſ. §. V.* Vidonem Tuſciae Marchionem obiiſſe, eique Albericum ſucceſſiſſe, tradit, quo de agit etiam *Platina* in *Ioanne XI. Sigonius* vero ad hunc annum ſcribit Lambertum ab Hugone Rege captum fuiſſe, Marchiamque Tuſciae ab eo Boſoni fratri donatam.

932. Hugo ac Lotharius Reges a Marchione Boſone exorati Eccleſiae S. Martini Lucenſi Maſſaegravae curtem cum ſuis iuribus, & acceſſoriis, largiuntur. *Diploma* datum Lucae apud *Vghellium*, & *Pl. Puccinellium Chronic. Abbat. Florentinae*.

935. Tuſciam Boſoni ademtam Hubertus obtinet. *Sigonius De Regno Italiae ad hunc annum*. Sed *Florentinius Lib. III.* Monumenta antiqua laudat, ex quibus liquet annis 935. & 936. permutationibus quibusdam bonorum Eccleſiaſticorum Boſonem Lucae adſenſum praeſtitiſſe.

936. Boſoni Tuſcia adimitur, & transfertur in Hubertum Hugonis Regis F. nothum, cuius uxor Villa vocata eſt. *Florentinius Lib. III.*

938. Lotharius Rex Adeleidae, Rechulphi Regis filiae, ſponſae ſuae quinque Curtes iu-

 ris

An. AEr. Vulgaris.

ris ſui, & Abbatiam Sexti (hoc eſt Bientinae) in Comitatu Lucenſi, & Abbatiam S. Antonii in Comitatu Senenſi, & Abbatiam S. Salvatoris in Monte Amiate; ſitas; dotis nomine concedit; ac donat. *Diploma* datum in Burgundia; in Corte, quae Columbaris dicitur, apud *Puccinellium*. Hugo I. & Lotharius II. Italiae Reges bona; iura; & Eccleſiam B. Mariae in Monte Ionio; Monaſterio S. Florae, & Lucillae Arretino donant; & confirmant; & Monaſterium ſub ſua protectione recipiunt. *Diploma Tom.* II. *Bullar. Caſinenſis* datum Peruſii pridie Kal. Iunii.

941. Hubertus Marchio, Comes Palatii, Piſis ius dicens una cum Adelardo Volaterrano; & Adelberto Lunenſi, Epiſcopis, Conradum Epiſcopum Lucenſem iuribus *in Plebe S. Mariae*; *& S. Stephani*, *& SS. Hippolyti*, *& Ioannis*, *in loco Decimo*, *& Villa*, *& Terra in loco Sexto* (hoc eſt Bientina) *& de Oraculo*, *qui dicitur S. Maria ad Montem*, inveſtit. *Tabula antiqua apud Puccinellium*, *a Florentinio*, *& Coſma de Arena*, laudata. Item Lucae ius dicens Conrado Epiſcopo Lucenſi caſas quaſdam, reſque alias, Piſis, & in agro Piſano, ſitas adiudicat, anno regni Hugonis XV. Lotharii X. indict. XIV. *Inſtrumentum* apud *Puccinellium a Florentinio*, *& Coſma de Arena* laudatum. 942.

An. AEr. Vulgaris.

942. Rainerius Diaconus, & Guido frater, Tegrini Comitis filii, Eccleſiam SS. Zenonis, & Rufini, variis praediis ditant. *Coſmas de Arena ex Inſtrumento.*

944. Hubertus Marchio in inſtrumento fundationis, & donationis Eccleſiae in Caſtro S. Severini ab Epiſcopo Camerinenſi in ſua Dioeceſi factæ, commemoratur. Apud *Puccinellium.*

945. Hildegardes Athonis Parmae, & Canoſſae, Comitis uxor, Tuſciae Marchioniſſa, & Domina a *Sigonio* cenſetur, & ab hac eius poſteri uſque ad Mathildam Etruriae Ducatum accepiſſe.

952. Hubertus Marchio lege vivens Salica bona quaedam in finibus Pozerli ad Porcari Tendimundo cuidam vendit. *Inſtrumentum* apud *Puccinellium.*

960. Berengarius II. & Adalbertus I. Reges largiuntur Guidoni fideli ſuo tres ſortes in Marchia Tuſciae. *Diploma* apud *Coſmam de Arena.*

961. Berengarius II. & Adalbertus I. Reges ad preces Hugonis Tuſciae Marchionis, *noſtri Dilectiſſimi fidelis*, ut aiunt, Martinum Vangadicenſis Monaſterii Abbatem Terra quadam ac praediis inveſtiunt. *Diploma* apud *Coſmam de Arena*,

962. Otho magnus in Italiam venit, & a Florentinis, & Lucenſibus, honorifice excipitur, inque eorum Vrbibus aliquandiu moratur. *Villanius.*

An. AEr. Vulgaris.

963. Otho privilegia Lunenſi Eccleſiae a ſuis anteceſſoribus conceſſa confirmat, aliaſque immunitates largitur. *Diploma* apud *Vghellium* Monte Feretri ad Petram Sancti Leonis datum.

964. Otho Magnus Berengarium, & Adalbertum eius F. Italiam, & Etruriam in primis, tyrannide opprimentes, regno privat, & Berengarium in Bavariam abducit; quum tamen menſem Auguſtum in Etruria exegiſſet, & Piſis aliquot diebus ſubſtitiſſet, & Monaſterium S. Salvatoris in Monte Amiate ſitum in clientelam ſuſcepiſſet, dato Diplomate Lucae, quod videre eſt apud *Vghellium* in Epiſcopis Cluſinis. *Io. Villanius Lib. III. Cap. V. & Lib. IV. Cap. I. Platina in Ioanne XIII. Sigonius ad hunc annum. Petavius Rat. temp. Par. I. Lib. VIII. Cap. XIII. Troncius in Monumentis Piſan.* aliique. Hubertus Tuſciae Marchio, & Comes Palatii, Papiae ius dicit. *Coſmas de Arena ex Inſtrumento.*

967. Fridericus Vaſſus ac Miſſus Imperatoris Florentiae *ſingulorum bonorum iuſtitias faciendas, & deliberandas reddit*, ut habetur in Inſtrumento apud *Vghellium*. Hoc anno menſe Octobri Otho in Etruriam concedit, & civitatibus in commodiorem ſtatum redactis, nonnullos feudis virtutis ergo decorat. *Sigonius.* Et inter alia Mutilianam Comitibus Guido-

nibus

An. AEr. Vulgaris.

nibus donat. *Villanius Lib. V. Capit. XXXVII.* Hubertus Marchio in territorio Volaterrano ad Montem Vultraium, in domo Petronis Epiſcopi, coram Imperatore ius dicit. *Coſmas de Arena ex Actis.* Adanaldus quidam Villae Marchioniſſae, Huberti coniugi, praedium, in agro Florentino ſitum, vendit. *Inſtrumentum* apud *Puccinellium*, & *Coſmam de Arena*.

968. Hugo Comes Huberto patri Marchioni ſuccedit. *Chronicon Paſſinianenſe* apud *Did. Franchium Lib.* I. *Hiſt. S. Ioann. Gualb.* Huius Hugonis Vitam *Plac. Puccinellius* Volumine ſingulari conſcripſit: & vere is ille fuit, qui exquiſitis praeconiis celebrari mereretur.

970. Hugo Huberti F. Tuſciae Marchio Lucae ius dicit. *Florentinius Lib.* III. Menſe Iulio Caſtra quaedam, & bona, Coenobio Marturi donat. *Coſmas de Arena ex Inſtrumento ex parte adducto.*

971. Hugo Dux, & Marchio, Caſtrum, & bona, quaedam a Guinizzone Guidonis filio emit. *Inſtrumentum* apud *Coſmam de Arena*.

973. Otho II. Patri ſucceſſit, & Florentinis favit. *Villanius Libr.* IV. *Cap.* V.

978. Willa Comitiſſa Piſis quum ageret donat Eccleſiae, & Monaſterio S. Mariae Florentiae a ſe aedificato Caſtra quaedam, & praedia. *Diploma* apud *Puccinellium*.

979.

An. AEr. Vulgaris.

979. Otho II. ab Ottoberto Marchione, & Comite Palatii, ſententiam pro Abbate S. Florae Arretinae contra Valcherium quemdam promulgari iubet, dum reſideret prope Montem Vultraium in agro Volaterrano. *Inſtrumentum* apud *Vghellium in Epiſcopis Volaterranis*.

981. Otho copias etiam ex Tuſcia repetit. *Sigonius*. Lunenſi Eccleſiae privilegia, immunitateſque confirmat, & ſpeciatim ſententiam a Gualchero Iudice, Carolo Magno Pontificiſque Legatis praeſentibus pro Lunenſi Eccleſia contra Gunnebaldum Bobienſem Abbatem latam ratam habet. *Diploma* apud *Vghellium* datum in Campo Vici.

983. Otho III. Imperium excipit, cuius in Italia Vicarius, Hugo Marchio, Florentiae commoratur: nam & Florentinos praecipue dilexit Imperator. *Villanius Lib.* IV. *Cap.* II. *&* V. *Platina* in *Ioanne* XIX.

984. Otho Canonicos Arretinae Eccleſiae, eorumque bona, ſua protectione dignatur. *Diploma* apud *Ughellium*, & *Buralium* in *Epiſcopis Arretinis*. Donationes quas Zenobius Epiſcopus Eccleſiae Feſulanae fecerat, ratas habet. Abbatiam S. Salvatoris in Lina, hodie Lagnam vocant, in Piſtorienſi agro ſitam, Feſulanae Eccleſiae in perpetuum adiudicat. *Diplomata* apud *Vghellium*.

986. Otbertus Marchio, quatuor Plebes liberas

An. AEr. Vulgaris.

ras Lunenſi Epiſcopo relinquit. *Inſtrumentum* apud *Vghellium* actum in Brolio de Carraria. Hugo Marchio condit & dotat Monaſterium S. Michaelis Caſtri Marturi, donatis multis bonis. *Diploma* apud *Puccinellium*, datum Lucae.

996. Otho Monaſterio Sexti (hoc eſt *Bientinae*) in agro Lucenſi donationem caſtri Verrucae ab Hugone factam, ipſius Hugonis precibus confirmat. *Florentinius Lib.* III. Idem Eccleſiam S. Mariae in Monte Ionio, aliaque bona, & iura Monaſterio S. Florae Arretino confirmat. *Diploma Tom.* II. *Bullar. Caſinenſ.* datum Romae VII. Kal. Iunii.

997. Hugo Marchio & Gualdrada eius ſoror, Piſis morantur. *Diplomata eorumdem* apud *Puccinellium*. Otho III. ad preces Hugonis Marchionis confirmat Abbatiae S. Ianuarii de Campoleone ad Arretium, fundatae a Iuditha Hugonis coniuge, caſtra quaedam, & curtem, & lacum Thraſymenum. *Diploma* apud *Puccinellium*, datum Tridentine.

998. Otho Eccleſiam S. Salvatoris, & S. Donati, & S. Martini, cum bonis eius omnibus, quae ſita eſt in loco qui vocatur Septimus, ſuo patrocinio communit. *Diploma* apud *Vghellium* in *Epiſc. Florentin.* Hugo Huberti F. Marchio multa bona Bonolio Abbati S. Michaelis in Colle Marturi, hoc eſt, Podio Bonitii, largitur

An. AEr. Vulgaris.

gitur. *Diploma* apud *Puccinellium*. Hugo Marchio a Gerardo Florentino caſas quasdam in Plebe S. Petri in Buxile in Comitatu Florentino, & alias caſas prope Eccleſiam S. Margaritae, loco dicto Cobariano, & Montaione, emit. *Inſtrumentum* actum Piſis, apud *Puccinellium*.

999. Otho III. omnia bona & iura Monaſterio S. Iacobi & Philippi, nunc S. Pontiani, confirmat. *Diploma* apud *Puccinellium*, datum Romae. Idem Hugonem Comitem Oratorem ad Silveſtrum II. mittit. *Epiſtola Othonis ad Silveſtrum II.* apud *Puccinellium*.

1000. Sigefridus Lucae Princeps. *Florentinius de Mathilda Lib. I.*

1001. Hugo Marchio moritur. *Florentinius Lib.* III. Ei Tedaldus Attonis F. Sigeſridi N. ſuccedit. Ava Comitiſſa, Zenonis Comitis F. Monaſterium S. Salvatoris de Inſula in agro Senenſi condit, & dotat. *Diploma T.* II. *Bullar. Caſinenſ.*

1002. Otho donationes ab Hugone Marchione Coenobio Florentino S. Mariae factas confirmat, immunitatemque concedit. *Diploma* apud *Vgbellium*. Mortuo Othone, Henricus II. in Imperatorem eligitur. *Fleurius Lib.* LVIII. *Hiſt. Eccleſ.* §. VI

1005. Tedaldus Tuſciae Marchio Henrico Imperatori ſuppetias advenit. *Florentinius de Mathilda Lib.* I.

1006. Rainerius Etruriae Marchio, ad quem S. Ro-

An. AEr. Vulgaris.

S. Romualdus ſe confert. *Guid. Grandius Diſſert.* II. *Camaldulenſ.* Abbates Coenobii Amiatenſis, & S. Anthimi, a decimis Epiſcopo Cluſino ſolvendis liberi declarantur ſententia lata ab Henrico Imperatore, ut ex *Inſtrumento* apud *Vghellium* in *Epiſc. Cluſinis* conſtat.

1007. Tedaldus Tuſciae Marchio naturae concedit; & Bonifacius Alberti filius in Marchia Tuſciae ſuccedit. *Florentinius* loco citato. Huius reperiuntur monumenta etiam 1009. *Florentinius Lib.* II. qui profert Diploma huius anni.

1009. Adalbertus Oberti F. Tuſciae Marchio. *Florentinius Lib.* I. cuius monumenta etiam 1011. reperiuntur. Bonifacius Dux Marchio. Ex *Inſtrumento* acto in Palatio S. Ioannis, in Archivo Paſſiniani exſtanti, a *Franchio* citato. Bonifacius Marchio Alberti Comitis F. bona quaedam Monaſterio S. Mariae Florentino donat. *Diploma Tom.* II. *Bullar. Caſinenſ.* datum in loco Planoro territorio Mutinenſi; & apud *Puccinellium*.

1010. Bonifacius Hugonis frater moritur, & Bonifacius Mathildae pater regnat. *Franchius*.

1012. Henricus II. bona a Bonifacio Marchione Monaſterio S. Mariae Florentino collata confirmat. *Diploma Tom.* II. *Bullar. Caſinenſ.* datum Pavemberg. pridie idus Maii; & apud *Puccinellium*.

1013. vel 23. Henricus II. Eccleſiam S. Miniatis reſtaurat. *Tab. Chronolog. Eccleſ. S. Miniatis*. *Blondus Hiſt. Decad.* II. *Lib.* III. Hen-

An. AEr. Vulgaris.

1014. Henricus Monaſterio S. Petri in Monte Viridi ſito privilegia concedit. *Ex Archivis Vallumbroſanorum*. Et Coenobium S. Salvatoris, & S. Iuſtinae Lucae, ſua protectione communit. *Florentinius de Mathilda Lib.* I.

1015. Henricus B. Romualdo quaedam in Biſurco donat. *Diploma* apud *Vghellium* in *Episc. Favent.* Monaſterio S. Salvatoris de Fontana Taonis, & eius Abbati Ioanni & Monachis, bona, quae a Marchione Bonifacio donata fuerant, confirmat, aliaque addit, perturbanteſque mulctat. *Diploma* datum in Comitatu Piſano, in Villa, quae nuncupatur Papiano, quod proferimus, & exſtat in Archivis Vallumbroſanorum. Hoc forte anno Florentiae una cum uxore diverſatus eſt, & Eccleſiam S. Miniatis in monte reſtituit. *Villan. Lib.* IV. *Cap.* IV. His temporibus Feſulis, Henrico adnuente, deſtructis, Florentia & ditionis fines extendere, & in potentiam adſurgere coepit. *Villanius Lib.* IV. *Cap.* II. IV. & V. Hoc eodem anno Henricus Eccleſiam Volaterranam in clientelam ſuſcipit, dato Diplomate in agro Piſano, loco dicto, Faſiano. *Ammiratus de Epiſcopis Volaterranis*.

1016. Rainerius Etruriae Praeſes privilegia Arretinae Eccleſiae indulget. *Buralius ex Diplomate Gottefridi*.

1017. Wido Comes Tegrini Comitis F. bona

quae-

An. AEr. Vulgaris.

quaedam Eccleſiae S. Fidelis, loco dicto Strumi, in agro Arretino donat, in uſum Monachorum Benedictinorum, quos Comes Teudegrinus eius pater ibidem collocaverat. *Diploma* apud *Ammiratum Hiſt. Famil. Comit. Guidonum*.

1022. Henricus II. Monaſterio SS. Florae & Lucillae Arretino bona a ſe enumerata confirmat, illudque in clientelam recipit. *Diploma Tom.* II. *Bullar. Caſinenſ.* datum Privarii in Comitatu Lucenſi X. Kalen. Auguſti.

1026. Conradus II. quum in agro Lucenſi eſſet, donationem a Bonifacio Marchione Monaſterio Fontanae Thaonis factam confirmavit. *Diploma*, quod ad *Chronicon Pontificum pag.* 168. produximus. Huic Imperatori in Italiam venienti Rainerius Tuſciae Marchio honoris ergo obviam it. *Florentinius de Mathilda Lib.* I. Conradus Florentiae lubenter morabatur, multoſque eius cives equites ſua manu inauguravit. *Villanius Lib.* IV. *Cap.* VIII. Giſla Teudegrini Comitis uxor Villam nomine Tannonam Eccleſiae S. Fidelis largitur. *Diploma* ab *Ammirato* adlegatum *in Hiſtor. Comit. Guidonum*. Conradus II. varia caſtra & poſſeſſiones Monaſterio S. Ianuarii de Campoleone confirmat. *Diploma* apud *Puccinellium* datum in Comitatu Placentino.

1027. Conradus Monaſterium Linenſe in agro Piſtorienſi ſitum Feſulanae Eccleſiae iterata

rata

An. AEr. Vulgaris.

rata liberalitate donavit. *Diploma* apud *Vghellium in Epiſcopis Feſulanis*. Donationem Bernardi cognomento Benzo Eccleſiae S. Michaelis Lucenſi factam confirmat. *Diploma* apud *Vghellium*. Conradus dicto monaſterio eadem bona iterum confirmat. *Diploma* apud *Puccinellium*, datum Romae. Suſcipit in tutelam Coenobium S. Pontiani Lucenſis. *Diploma* apud *Puccinellium*.

1028. Conradus Abbatiam Brumiadae, & bona ipſius, Eccleſiae Lunenſi confirmat. *Diploma* apud *Vghellium*, datum Romae.

1029. Guido Comes donat Eccleſiae S. Fidelis de Strumi Curtes Vadae, & Faetae. *Ammiratus in Hiſt. Comit. Guidon. ex Inſtrumento*.

1030. Conradus II. bona & iura Monaſterii Sanctae Mariae Florentini confirmat, & Monaſterium Imperiale, ac Regale declarat. *Diploma Tom. II. Bullar. Caſinenſ.* datum in Eingelinheim Kalend. Aprilis. Et apud *Pl. Puccinellium Chronic. Abbatiae Florentiae*.

1034. Bonifacius Tedaldi F. Etruriae Marchio. *Florentinius De Mathild. Lib.* I. Conradus confirmat Xenodochii inſtitutionem factam a Petro Abbate Coenobii Florentini. *Dipl.* apud *Puccinell.* datum Radesbonae.

1036. Conradus Monaſterio Amiatino multa bona donat, immunitatemque concedit. *Diploma* apud *Vghellium in Epiſcop. Cluſin.*

Con-

An. AEr. Vulgaris.

1037. Conradus a Bonifacio Marchione Lucae excipitur. *Florentinius de Mathilda Lib.* 1. Suo patrocinio munit Florentinae Eccleſiae bona, eorumque donationes confirmat, ad preces Gislae Imperatricis, & *Bonifacii noſtri fideliſſimi Marchionis*, ut ipſe ait. *Diploma* apud *Vghellium* in *Epiſcop. Florentin.* Bonifacius Etruriae Marchio, qui Florentiae, Piſis, Lucae, Piſtorio, aliiſque locis, imperabat, quaedam bona hoc anno eccleſiae S. Miniatis obfert. *Diploma* Lucae exſtans, a *Borghinio*, & *Florentinio*, adlegatum.

1038. Conradus Eccleſiae Cathedrali Lucenſi privilegia concedit. *Florentinius De Mathil.* Et Arretinae Eccleſiae. *Diploma a Buralio* laudatum. Bonifacius Marchio in Territorio Florentino, loco dicto Pocie, Monaſterii S. Miniatis Abbatem iuxta electionem ordinat, atque confirmat, immunitatemque concedit. *Diploma* apud *Florentinium De Mathilda*. Conradus II. bona & iura Domini Cantoris Maſſariae, Ruſticelli, & Donati, quae ad Fiſcum devoluta fuerant, Monaſterio S. Mariae Florentino elargitur. *Diploma Tom.* II. *Bullar. Caſinenſ.* datum Vidalianae X. Kalend. Auguſti, & apud *Puccinellium*.

1040. Henricus III. Monaſterium S. Salvatoris de Fontana Taonis ſub protectione ſuſcipit: ſimilique privilegio Monaſterium

An. AEr. Vulgaris.

S. Petri de Monte Viridi dignatur. *Ex Archivis Vallumbroſanorum*.

1043. Tegrinus Comes Widonis Comitis F. bona quaedam Monaſterio Fontanae Taonis largitur. *Diploma ab Ammirato in Hiſtor. Comit. Guidon.* adlegatum.

1046. Mathilda naſcitur. *Florentinius Lib.* I. *De Mathilda*.

1047. Bonifacius Dux, & Marchio Ioannem Lucanum Epiſcopum praediis quibusdam inveſtit, ſalva querela Widonis Comitis. *Diploma* apud *Vghellium*, & *Florentinium*. Henricus III. omnia iura, & poſſeſſiones dicto Monaſterio confirmat. *Diploma* datum Roma, apud *Puccinellium*.

1050. Berengarius Rex Florentinae Eccleſiae bona quaedam donat. *Borghinius* in *Epiſc. Florentin.*

1051. Henricus III. Abbatiae S. Anthimi privilegia concedit. *Diploma* apud *Vghellium & Puccinellium*.

1052. Henricus Arretinae Eccleſiae privilegia concedit, & a Carolo Magno conceſſa confirmat: & Arretinae civitati, anteceſſorum exempla imitatus, ius cudendae monetae largitur. *Diploma* apud *Buralium*. Bonifacius Marchio occiditur. *Florentinius de Mathilda Lib.* I.

1054. Gottefridus Lotharingiae Dux, Beatricem Bonifacii viduam, uxorem ducit; atque ita Etruriam dotalem accipit. *Florentinius* loco laudato.

Hen-

An. AEr. Vulgaris.

1055. Henricus III. Coenobii S. Salvii, in agro Florentino ſiti, patrocinium ſuſcipit. *Diploma*, quod proferimus.

1056. Guido Comes Guidonis Comitis F. Eccleſiae Sancti Salvatoris bona quaedam largitur. *Diploma ab Ammirato adlegatum* in *Hiſtoria Comitum Guidonum*.

1058. Gottefridus Marchio Anſelmo Lucenſi Epiſcopo Eccleſiam S. Alexandri concedit. *Diploma* in *Tabul. Epiſcop. Lucenſ.* Idem Villae, in agro Cluſino, una cum Ildeprando S. R. E. Legato, litem inter Epiſcopum Cluſinum, & Monachos Amiatinos, vertentem decidit. *Inſtrumentum* apud *Vghellium* in *Epiſcop. Cluſin.* Quum Florentiae eſſet privilegium a Rainerio Tuſciae Praeſide conceſſum Eccleſiae Arretinae confirmat. *Diploma* a *Buralio* adlegatum.

1061. Beatrix Florentiae, in Palatio ad Sanctum Ioannem, in iudicio reſidens, quum pro Gottefrido Duce coniuge ius diceret, bona quaedam Abbatiae Florentinae adiudicat. *Inſtrumentum* apud *Puccinellium Chronic. Abbat. Florent.*

1062. Otho III. Monaſterio S. Mariae, & S. Benedicti, ſito in Alpe, quae dicitur Platalia, ad radicem Montis nomine Acuti, bona ab Hugone Marchione tradita aliaque confirmat. *Diploma* datum in Paterno, apud *Puccinellium*.

1068. Alexander II. Pontifex Maximus Lucae coram Beatrice Comitiſſa Beren-

An. AEr. Vulgaris.

garium Domnuccii filium, Advocatum Epiſcopatus S. Martini conſtituit, praeſente inter ceteros Guidone Comite Guidonis F. *Breve* apud *Florentinium*. Beatrix, & Flaipertus Iudex & Miſſus Imperatoris, Lucae, occupantibus bona Eccleſiae S. Martini multam indicunt. *Inſtrumentum* apud *Florentinium*. Comes Guido Guidonis Comitis F. una cum Ermellina uxore donat D. Ioanni Gualberto Abbati Monaſterii S. Mariae de Aquabella locum Taborram nomine. *Diploma* ab *Ammirato* laudatum in *Hiſtor. Comit. Guidon.* Idem Guido cum eadem uxore ad Oberti Abbatis Monaſterii S. Miniatis preces Eccleſiam in praedicti Sancti honorem aedificare cogitat, praedia varia ei largiens. *Ibidem*.

1069. Gottefridus moritur, & Gottefridus Gozzelo filius ei ſuccedit. *Florentinius Lib.* I. *De Mathilda*. Gualbertus Pariſienſis Vicarius Imperialis in oppido S. Miniatis reſidet. *Bonincontrius Lib.* I. *Hiſt. Neap. MS.*

1070. Mathilda Gottefrido Gozzeloni nubit. *Florentinius* loco laudato.

1072. Rainerius, Federicus, & Bernardus de Cintoria, Terram Cunialis Monaſterio Montis Scalarii confirmant, quod & olim coram Duce Gottefrido Florentiae ius dicente fecerant. *Inſtrumentum quod edo*.

1073. Gozzelo Piſis cum Mathilda ius dicit. *Diploma num.* XVI. apud *Florentinium*. Beatrix, & Gottefridus Piſis ius dicunt, coram

An. AEr. Vulgaris.

ram quibus Rodulphus, Saracinus, & Fulcardus, Monaſterio S. Pontiani Lucenſi Curtem Taoguanae dimittunt. *Inſtrumentum* apud *Vghellium* in *Volaterranis Epiſcopis*. Henricus IV. omnia bona & privilegia Coenobio S. Mariae Florentino confirmat. *Diploma* apud *Puccinellium Chronic. Abbat. Florent.* datum Berteſtatiſen. & *Tom.* II. *Bullar. Caſinenſ.*

1074. Beatrix, & Mathilda Piſis ius dicunt. *Diploma* apud *Florentinium*, in quo mentio fit *de filiis Berti de S. Miniato*.

1076. Gottefridus Gozzelo Dux, & Beatrix Mathildae mater, diem obeunt. *Florent. Lib.* II. *Tronc. Monum. Piſ.* Initium ſchiſmatis inter Gregorium VII.& Henricum V. quibus Italiae motibus ac turbis Florentini ſagaciter uſi, potentiam ſuam mirabiliter auxerunt. *Villanius Lib.* IV. *Cap.* XV.

1077. Mathilda Florentiae ius dicit. *Florentinius Lib.* II. Et bonam Etruriae partem, ac Longobardiae, Eccleſiae Romanae donat. *Chronic. Caſinenſ. Lib.* III. *Cap.* XLIX.

1078. Mathilda multa bona donat Epiſcopio Piſano. *Diploma* datum in Burgo Marturae, apud *Troncium*, & *Vghellium*, & *Florentinium*. Eccleſiae Lucenſi Caſtellum Decimi largitur. *Diploma* apud *Florentinium*, & *Vghellium*, datum ad Peruſiam, loco qui dicitur S. Cyprianus. Iura quaedam in Plebaniis de Molle, ſanctique Iuſti de Pernina, ac Perſonata, in Senenſi territorio Epiſcopo Volaterrano

An. AEr. Vulgaris.

confirmat. *Diploma* apud *Vghellium*, & *Ammiratum*.

1079. Eccleſiae, & Epiſcopatui S. Martini Lucenſi, Mathilda caſtellum, quod dicitur Caſtallione Beſardeſcos, in agro Volaterrano ſitum donat. *Diploma* apud *Florentinium*, & *Vghellium*, actum Burgo quod dicitur Bricule.

1080. Henricus IV. Sena in Longobardiam proficiſcens a Florentinis Gregorii VII. partes ſequentibus ingreſſu ſuae urbis excluditur. Quare urbem obſidet fruſtra, nam eum Florentini repellunt ac fugant, caſtraque diripiunt. *Villanius Lib.* IV. *Cap.* XXII.

1081. Henricus, diplomate Piſis dato, immunitates longe maximas Piſanis civibus concedit. *Diploma* apud *Vghellium* in *Epiſc. Piſan.* Guido Comes praedium & ſilvam quamdam Monaſterio Vallisumbroſae beneficii titulo donat. *Inſtrumentum*, quod edimus, & quod *Ammiratus* laudat.

1084. Henricus Senam contendit. *Sigonius*. Canonicis Eccleſiae S. Mariae Piſarum bona quaedam concedit. *Diploma* Sutriae datum apud *Troncium*, & *Vghellium*.

1085. Albertus Marchio, cognomento Ruffus, Alberti Marchionis F. ingentia bona & latifundia Eccleſiae Lunenſi aut confirmat aut donat. *Diploma* datum Burgo Sarzania, apud *Vghellium*.

Ma-

An. AEr. Vulgaris.

1090. Mathilda Welfoni nubit. *Florentinius* Lib. *II. Memorab. Mathildae.* Comes Guido Florentio Abbati praedia donat. *Ammiratus ex Inſtrumento.*

1091. Vguiccio Comes Bulgari F. Piſciae morans Noſocomio Roſaci bona quaedam largitur. *Puccinellius Monument. Piſcienſ. ex Inſtrumento.*

1094. Wido Comes Widonis Comitis F. Monaſterio S. Fidelis Strumenſi bona quaedam, & latifundia, donat. *Diploma quod proferimus*, & quod *Ammiratus* citat.

1095. Mathilda a Welfonis cuniugio ſe ſeparat. *Bertoldus anno* 1095.

1097. Henricus Imperator Mathildae victoriis fractus in Germaniam ſe conferre compellitur. *Florentinius Lib.* II. laudato. Guido comes Guidonis F. Rozoni Praepoſito Eccleſiae, & Canonicae S. Reparatae, medietatem Caſtelli Campiani cum curte, & Eccleſia S. Mariae, eiuſque rebus, liberam concedit. *Antiqua Tabula* apud *Ammiratum*: id actum fuit Florentiae in foro veteri. Hugo, Rainerius, Lotharius, & Bulgarus Vguiccionis Comitis F. Eccleſiae S. AEgidii Teupaſſio (hodie Altopaſcio) ſitae bona quaedam donat. *Puccinellius ex Inſtrumento.*

1098. Mathilda Hoſpitali S. Michaelis ſito in Bombiano bona, & privilegia concedit. *Diploma* quod produximus ad *Chronicon Pontificum pag.* 191. Guido Comes

An. AEr. Vulgaris.

Henrico Praepoſito Arretino Villam Morronae liberam dimittit. *Ammiratus ex Inſtrumento.*

1099. Mathilda bona, & privilegia, Monaſterio Fontanae Taonis largitur. *Diploma quod ad Chronicon Pontificum pag.* 190. *exhibuimus.* Hoc anno Mathilda Florentiae verſabatur, & Eccleſiae S. Reparatae privilegium indulſit. *Diploma* apud *Vghellium.* Epiſcopatui S. Martini Lucenſis bona quaedam contra Widonem Comitem Widonis F. contumacem, quum Lucae ius diceret, adiudicat, multa non parentibus indicta. *Diploma* apud *Vghellium*, & *Florentinium.* Bona quaedam Monaſterio S. Pontiani ad Lucam concedit. *Diploma* apud *Florentinium.* Guido Comes donationes Monaſterio Vallis Vmbroſae a Guidone Comite, & Tegrimo eius filio, factas confirmat. *Inſtrumentum quod exhibemus, ab Ammirato* laudatum.

1100. Mathilda una cum Guidone Comite, & eius filio Guidone Guerra, Diploma in Palatio Florentino concedit, quo vetat Monaſteria Vallumbroſanorum iam deſpecta, & adflicta, a quoquam ulterius moleſtari ac turbari. *Diploma* apud *Vghellium in Epiſcopis Feſulanis*, & *Ammiratum Hiſt. Comit. Guid.* Mathilda in loco Marturae ius dicens penſionem Epiſcopo Lucenſi ex pacto ſolvendam probat atque confirmat. *Diploma* apud *Vghel-*

An. AEr. Vulgaris.

ghellium. Quum Ceragcti eſſet Abbati Se-renae poſſeſſionem medietatis Caſtelli Cumuli adiudicat. *Inſtrumentum* apud *Florentinium*. Coram Opizone de Gonzaga, & Fralmo, & Petro de Pichena, & aliis pluribus, Mathilda ius dicens in Surſiano, ſecundum adſertionem Clerici, & Martini Plebani S. Mariae ad Montem, Raginerii Lucenſis Epiſcopi Admiſſorum, decidit Bennum, & Raginerium, Ardinghi filios debere ſufficere quotannis Raginerio Epiſcopo Romam ad Synodum eunti, vel redeunti, triginta vel quadraginta equites iuxta conventionem inter ipſos initam. *Diploma* apud *Vghellium*, & *Florentinium*. Eccleſiae Piſanae immunitates, & bona concedit. *Diploma* in Archivo Lucenſi, datum in Villa Papiani, apud *Troncium*, *Vghellium*, & *Florentinium*. Hoc tempore Senenſes monetam cudebant. *Iugurtha Thomaſius Hiſtor. Senenſ. Lib.* III. Imilia Comitis Guidonis Guerrae uxor Congregationi Vallis Vmbroſae multa bona de mariti conſenſu largitur. *Monumentum quod edimus*.

1101. Conradus Rex Florentiae moritur. *Abbas Vrſpergenſis* in *Chronico*.

1102. Mathilda, quum Inſtrumentum donationis, quam Romanae Eccleſiae fecerat, amiſſum fuiſſet, coram Cardinali Bernardo Vbertio Legato, donationem renovat, aliudque inſtrumentum fieri iubet,

quod

An. AEr. Vulgaris.

quod apud *Baronium*, & in fine Operis *Domnizonis* legere eſt.

1103. Mathilda una cum Comite Guidone Guerra Monaſterio Vallumbroſae pluria bona donat. *Diploma* apud *Vghellium in Epiſcop. Arretinis*, & *Ammiratum Hiſt. Comit. Guid.* Opizzus Vicedominus, & Legatus Comitiſſae Mathildae, reſidet, & ius dicit, in Caſtro Liciniani. *Inſtrumentum*, quod ad *Chronicon Pontificum pag.* 194. ex parte edidimus. Mathilda Operae S. Mariae Piſanae Civitatis Caſtra quaedam, & bona largitur. *Diploma* datum Nonantulae apud *Troncium*.

1104. Mathilda Monaſterio Fontanae Taonis bona quaedam donat. *Diploma* exhibitum ad *Chronicon Pontificum pag.* 189. Inveſtit Epiſcopum Populonienſem bonis, quae ei Rodulphus Hugonis Comitis F. & Iulitta mater, donaverant. *Diploma* apud *Vghellium* in *Epiſcopis Populonienſibus*.

1105. Mathilda nonis Octobris in Villa Sevae multam indicit iis, qui in res Sanctimonialium S. Petri de Luco in Mugello, aliquid attentaverint. *Diploma* apud *Guid. Grandium*, *Silv. Razium in Vit. Mathild.* & *Mellinium Part. I. De Mathılda*.

1107. Mathilda Pratum obſidens Anſelmum Ficiclenſem Abbatem, legitimum portionis Caſtri Montis Alti in Dioeceſi Lucenſi poſſeſſorem declarat. *Diploma*, & *antiquum*

An. AEr. Vulgaris.

quum *monumentum* apud *Florentinium*, & *Vghellium* in *Epiſcopis Piſtorienſ.* Monaſterium Freſionariae prope Lucam condit. *Iac. Philippus Bergomas ſupplem. Chronic. hoc anno.* Henricus Imperator Piſas contendit, & Piſanos ac Lucenſes ad concordiam redigit. *Chronic. Piſan. ab Vghellio* editum. Florentini Caſtella, & arces varias expugnant, & ditionem ampliant. *Villanius Lib.* IV. *Cap.* XXIII. & XXIV.

1108. Henricus IV. Hoſpitale S. Michaelis ad Renum, Abbatiae Fontanae Taonis membrum, in clientelam ſuſcipit. *Ex Archivis Vallumbroſanorum.*

1110. Henricus IV. Piſas adit, ibique aliquandiu moratur. *Troncius Monum. Piſanis.* Mathilda confirmat donationem factam Eccleſiae, & Plebi Villae Caſtri Veteris ab Vgolino Comite q. Superbi q. Contis Armanni de Nobilibus de domo filiorum Guidi de Villa Caſtri Veteris, & S. Michaelis de Garfagnana. *Diploma* apud *Florentinium* datum Pontremoli.

1111. Mathilda Liguriae Proregina ab Henrico Imperatore renunciatur. *Domnizzo Lib.* II.

1112. Balnea Piſana aedificiis extructis Mathilda reſtituit. *Inſcriptio* apud *Florentinium Lib.* II. & *Mellinium de Mathilda Part.* II. Monaſterio S. Gorgonis in Inſula Gorgona, & Eccleſiae S. Viti Piſarum, multa

An. AEr. Vulgaris.

multa bona largitur, eaque ſua protectione communit. *Diploma in Archivo Carthuſienſium Piſanorum*. Comes Hugo Comitis Hugonis F. Volaterranorum nomine, ſalvo iure, & dominio Mathildae Comitiſſae, & Marchioniſſae Tuſciae, foedus cum Piſanis ferit. *Inſtrumentum in Archivo Volaterrano; a Troncio* adlegatum.

1113. Rimbertus Henrici Imperatoris in Etruria Vicarius, in Oppido S. Miniatis reſidens, prout alii Vicarii cum copiis, ut urbes oppidaque Etruriae Imperatori parere cogerent, reſidebant, quum Montem Caſciolium adverſus Florentinos commoviſſet, a Florentinis victus caeſuſque eſt, & Caſtrum captum & ſolo aequatum. *Villanius Lib.* IV. *Cap.* XXVIII. Mathilda donationem ſilvae Paratinae ab Imperatore Henrico Gualando Orlandio factam confirmat. *Troncius*.

1114. Henricus V. ad S. Bernardi Vbertii Cardinalis, & Pontii Abbatis Cluniacenſis, preces, univerſa Vallumbroſanae congregationis Monaſteria ſua protectione dignatur, immunitateſque concedit. *Diploma quod edimus*.

1115. Mathilda moritur. *Ptolemaeus Lucenſis hoc anno*. Hanc quidam Scriptores tradunt condidiſſe Caſtrum Noſſani tertio ab Vrbe Luca lapide, & Caſtrum Montis Foſculi in agro Piſano. *Florentinius Lib.* II.

An. AEr. Vulgaris.

II. Conradus Marchio ei ſuccedit. *Sigonius de Regno Italiae Lib.* XI.

1116. Henricus Imperator privilegia, & immunitates, Eccleſiae Piſanae concedit. *Diploma* apud *Troncium*, *&* *Vghellium*.

1117. Ratbodus Etruriae Dux, & Marchio. *Coſmas de Arena*.

1119. Henricus Imperator Conradum, qui deinde Imperator fuit, Nepotem ſuum, Tuſciae Marchionem conſtituit. *Florentinius Lib. II.* Imilia Guidonis Guerrae uxor promittit ſe facturam ut incolae Caſtri Imporii, aliorumque locorum ad plebem S. Andreae inhabitandam evocentur. *Inſtrumentum* ſcriptum Piſtorii, ab *Ammirato* adlegatum. Henricus V. Caſtro S. Florae deſtructo, novum Caſtrum S. Florae in Podio Turritae aedificare, advenaſque id incolere, permittit, illudque Monaſterio S. Florae concedit. *Diploma Tom. II. Bullar. Caſinenſis* datum Piſis XIV. Kal. Auguſti, inter cuius rei teſtes Locterius de S. Geneſio Imperialis Aulae iudex recenſetur.

1120. Conradus Marchio Pontem Ormi in agro Florentino obſidet, & Conſulibus Lucenſibus immunitates, & iura, confirmat. *Florentinius Lib. II.* Monaſterio Paſſiniani immunitates, & privilegia concedit. *Diploma* quod producimus.

1122. Conradus Tuſciae Marchio Monaſterio Cultus

An. AEr. Vulgaris.

tus boni privilegium concedit, cuius teſtes inter ceteros ſunt, Fridericus Marchionis nepos, & Comes Wido Guerra. *Diploma* ab *Ammirato* laudatum.

1125. Fridericus Conradi frater, Dux & Marchio. *Coſmas de Arena*.

1126. Conradus Marchio Conſulibus Lucenſibus Caſtrum Noſſani concedit. *Florentinius Lib. II. Ptolaemeus Lucenſis hoc anno. Sigonius de Reg. Ital. Lib. XI.*

1129. Conradus Tuſciae Praeſes, & Marchio, bona quaedam Monaſterio S. Pontiani Lucenſi largitur. *Florentinius Lib.* II. *ex Diplomate*.

1130. Lotharius Imperator Henricum generum ſuum Tuſciae Praeſidem conſtituit. *Abbas Vrſpergenſis Chronico*. Guido Marchio. *Coſmas de Arena*. Lotharius Rex Inncentio II. Terram Comitiſſae Mathildae tradit. *Petrus Caſinenſ. Lib. IV. Cap. XCVII.*

1131. Rampertus Tuſciae Praeſes, & Marchio, bona quaedam Monaſterio S. Pontiani Lucenſi dono dat. *Florentinius Lib. II. ex Diplomate*. Comes Guido Guidonis Guerrae F. una cum Imilia matre, bona quaedam Eccleſiae S. Fidelis venundat. *Inſtrumentum* ab *Ammirato* laudatum.

1135. Ingelbertus Marchia Tuſciae inveſtitus eſt, qui a Lucenſibus apud Ficiclum victus fuit. *Chronicon vetuſtum Piſanum* apud *Florentinium*, & *Vghellium*.

1136. Lotharius II. Monaſterio Fontanae Taonis, &

An. AEr. Vulgaris.

& Hoſpitali S. Michaelis ad Renum donationes ab Imperatore Henrico, & Comitiſſa Mathilda, factas confirmat. *Diploma*, quod edimus.

1138. Conradus III. Balduino Archiepiſcopo Piſano multa bona, & iura, concedit. *Diploma* apud *Troncium*, & *Vghellium*.

1139. Henricus Marchio Tuſciae moritur, & ei Vdelricus ſuccedit. *Florentinius Lib. II.*

1141. Albertus Marchio Ficicli Dominus. *Troncius*.

1143. Vdelricus Marchio Othoni Epiſcopo Lucenſi Curtem Bientinae in feudum dat. *Florentinius Lib. II.* ex *Inſtrumento*.

1144. Vdelricus Marchio Florentinorum ſocius adverſus Senenſes. *Sigonius de Reg. Ital. Lib. XI.*

1146. Quum Comites Guidi oppida & caſtella Florentiam uſque poſſiderent, Florentini Montem Crucis oppugnant, ſed a Comite Guidone ſeniore victi fugantur. *Villanius Lib.* IV. *Cap.* XXXVI.

1147. Pax inter Piſanos & Lucenſes, Conradi Regis iuſſu, gravibus Piſanis ab eo conditionibus impoſitis, ſancita eſt. *Tabulae* Piſis exſtantes apud *Comitem Griffum*.

1052. Fridericus Imperator Guelfoni avunculo Tuſciae Marchiam donat, &, ut *Vſpergenſis* ait, *totam Terram Mathildis Comitiſſae*.

1054. Florentini Montem Crucis obſident, capiunt, evertunt: quare Comites Guidi ſua

An. AEr. Vulgaris.

ſua quoad illum iura Florentino Epiſcopatui vendiderunt. *Villanius Libr.* IV. *Cap.* XXXVI. Fridericus AEnobarbus quum in Longobardia eſſet, Legatos a Piſanis expoſcit, eiſque ut claſſem in Siciliam tranſmiſſuram parent, iubet. *Guntherus Ligurinus Lib.* III.

1155. Rodulphus Marchio. *Coſmas de Arena.*

1156. Guidoguerra octavam partem Podii, quod dicitur Bonitii, Senenſibus donat. *Iug. Thomaſius Lib.* III. *Hiſtor. Senenſ. Diploma* apud *Ammiratum.*

1158. Fridericus I. cuncta Vallumbroſanae Congregationis Monaſteria ſuo patrocinio fulcit, immunitateſque concedit. *Diploma* quod edimus.

1159. Fridericus coenobium S. Mercurialis, & Grati, in agro Forolivienſi ſitum in clientelam ſuſcipit, eique immunitatem concedit. *Diploma*, quod edimus. Item ſua protectione dignatur Monaſterium S. Mariae de Criſpino, & privilegia & immunitates largiens, a conſortio & dominio Florentinorum, Faventinorum, & Comitum Guidonum, aliorumque eximit. *Diploma*, quod in medium adducimus. Senenſibus privilegium indulgens, vetat ne intra XII. ab Sena lapidem turrim quis aedificet. *Diploma* a *Thomaſio* laudatum. Tranſimundus Piſcienſis, Patriae nomine, Gregorio Epiſcopo Lucenſi ſacramentum praeſtat, ſe ei in omnibus praeſto fore teſtatus, modo contra Conradum III. Im-

An. AEr. Vulgaris.

Imperatorem, & Guelfonem Etruriae Ducem, quidquam agendum non ſit. *Puccinellius ex inſtrumento.*

1160. Guelfo Marchio, Guelfonis Marchionis F. Canonicis Cathedralis Lucenſis privilegium concedit, actum Ficicli. Item nonnulla Lucenſibus civibus cedit: ex cuius ceſſionis, cuius & *Ptolemaeus* meminit, inſtrumento conſtat, quum Guelfo omnes Etruriae populos, ut notat *Vrſpergenſis*, in oppido S. Geneſii convocaſſet, & unicuique, quod ſuum erat, tribuiſſet, eum omnia, quae in agro Lucenſi intra ſex millia paſſuum ab urbe Lucae poſſidebat, civitati Lucanae donaſſe, conceſſiſſe, ac confirmaſſe. *Sigonius Libro XIII. de Regno Italiae*, & *Florentinius Lib. II. ex Diplomate*. Hic Guelfo, neſcio quo anno, in Guelfonem filium Tuſciae dominium tranſtulit. *Idem*. Item poſſeſſiones omnes & iura Eccleſiae Piſanae confirmat, Canonicoſque in protectione ſuſcipit. *Diploma* datum apud S. Geneſium apud *Vghellium* in *Epiſc. Piſanis*.

1161. Fridericus Imperator multa caſtra, & territoria, Piſanis feudorum titulo donat, & iuriſdictionem peramplam concedit. *Diploma* datum Papiae poſt deſtructionem Mediolani apud *Troncium*. Sed Mediolanum captum eſt anno 1162. Piſani Legatos ad Fridericum Imperatorem mittunt, de Imperii & communis Piſani, progreſſibus acturos. *Chronicon Piſanum.*

An. AEr. Vulgaris.

Secunda feria Paſchatis Imperatori iuramentum praeſtant, & expeditionem in Apuliam, aliaque regna, ſe ſuſcepturos pollicentur. *Goffridus Monachus S. Pantaleonis Annal.* Fridericus eadem iura, & poſſeſſiones eidem monaſterio confirmat, aliaſque concedit. *Diploma* apud *Vgbellium*, datum Laude.

1162. Piſanos per Vexillum & Spatham in omnibus Tuſciae civitatibus Imperator inveſtit. *Chronic. Piſan.* Forte idem eſt cum eo, quod ad annum 1161. ſtatim narravimus: nec annum recte Chronicon notat.

1163. Rinaldus Archiepiſcopus Colonienſis, Friderici iuſſu Longobardia, Marchia, ac Tuſcia, perluſtrata, Epiſcopos ſibi averſos exauctoravit, ſocias civitates confirmavit. *Sigonius de Regn. Ital. Lib. XIII.*

1164. Henricus Leodienſis, una cum Rinaldo praedicto, Legatus Friderici in Etruria. *Coſmas de Arena.* Fridericus Imperator Curiae Piſcienſis Dominus. *Puccinellius ex Tabulis Archivi Capitularis Lucenſis.*

1165. Guelfo Marchio Tuſciae in Germaniam redit. *Sigonius Lib. XIII. de Reg. Italiae.* Et forte hoc anno in filium Tuſciae Marchiam tranſtulit. *Conſule ſuperius ad annum* 1160. Fridericus Imperator Inſulae Sardiniae inveſtituram Piſanis concedit. *Diploma* datum Francfurti, apud *Tronc.*

1166. Fridericus Rinaldum Colonienſem, & Chriſtianum Moguntinum, Antiſtites, cum in-

An. AEr. Vulgaris.

ingentibus copiis in Italiam maturare, & ſtudioſas Eccleſiae civitates in Marchia, atque Etruria, bello adgredi iuſſit; quod quidem exſequuti ſunt. *Sigonius Lib. XIII. de Regn. Italiae.*

1167. Rinaldus Colonienſis Antiſtes donationem Podii Bonitii a Guidone guerra Senenſibus factam confirmat. *Iug. Thomaſius Lib. III.*

1168. Imperator, omnibus Italiae civitatibus contra eum coniurantibus, clam in Germaniam non ſine ignominia ſe ſubducit. *Goffridus Monachus S. Pantaleonis Annalibus.*

1172. Lucenſes caſtrum S. Miniatis, Fuſcanum, Viaregium, aliaque, adorti ſui iuris fecere. *Sigonius Lib. XIV. de Regn. Ital.* Chriſtianus Moguntinus Antiſtes iuſſu Friderici Legatos Etruſcarum Civitatum Senae convocat. *Thomaſius Lib. III.*

1176. Fridericus Imperator cum uxore, & filio Piſas profectus, a Piſanis urbis claves obferentibus honorifice excipitur. *Troncius.*

1177. Quum multae Etruriae, & Longobardiae, civitates a Friderico deficerent, ille tandem Alexandro III. Pontifici ſe ſubiicit, rebuſque inter ſe compoſitis, pax Eccleſiae redditur; quare Etruſci, aliique populi in gratiam Friderici redeunt. *Villanius Lib. V. Cap. II.* Fridericus monaſterium S. Florae Arretinum ſub ſua protectione ſuſcipit, eidem bona omnia

An. AEr. Vulgaris.

& iura confirmat, immunitateſque concedit. *Diplom. Tom. II. Bullar. Caſinenſ.* datum apud Caſtrum Florentiae Idibus Martii.

1178. Fridericus Piſis agens, & in Epiſcopali palatio morans, Canonicis Eccleſiae Piſanae omnia privilegia confirmat. *Diploma* in *Archivo Capitulari Piſis exſtans*, apud *Vgbellium*. Hoc eodem anno Fridericus, diplomate Papiae dato, iura & poſſeſſiones Archiepiſcopo, & Eccleſiae Piſanae, confirmat. *Diploma* apud *Vgbellium* laudatum. In oppido S. Miniatis Abbatiae ad Inſulam privilegium concedit. *Thomaſius Lib. III.*

1180. Chriſtianus Moguntinus, Etruriae Vicarius, iura Imperii ſuper medietate Caſtri Monterii Senenſibus cedit. *Thomaſius Lib. III.* Rainerius, & Vgolinus, fratres, Marchiones Etruriae. *Coſmas de Arena*.

1181. Lucius Pontifex, Imperatore Friderico adſentiente, Lucenſibus, ut monetam feriant, concedit. *Sigonius de Regn. Ital. Lib. XIV.*

1183. Fridericus privilegium ab Alexandro III. Lunenſi Eccleſiae anno 1179. conceſſum Diplomate Conſtantiae dato confirmat. *Diploma* apud *Vgbellium*. Chriſtianus Moguntinus Epiſcopus ſuperius memoratus in Italia moritur. *Goffridus Monachus S. Pantaleonis*.

1184. Fridericus Florentia in Apuliam profecturus tranſiens, Comitatum omnem, eiuſ-

que

An. AEr. Vulgaris.

que dominium Florentinis abſtulit, & in eodem Comi a a Vicarios conſtituit, quod & aliis Etruriae civitatibus, Piſtorio, ac Piſis exceptis, fecit, quod ab Alexandri Pontificis partibus ſtetiſſent. Item Senam obſedit, ſed re infecta diſceſſit. *Villanius Lib. V. Cap. XII.* Henricus Rex Friderici F. quum Ficicli eſſet coenobium Montis Scalarii ſuo patrocinio munit, & bona privilegiaque largitur. *Diploma*, quod edimus, *cuius* αὐτόγραφον *in Archivo Monaſterii Ripulenſis adſervatur*.

1185. Fridericus, quum IV. Kal. Auguſti, in oppido S. Miniatis eſſet, privilegia ab aliis Imperatoribus Lunenſi Eccleſiae conceſſa confirmavit, aliaſque immunitates & exemtiones indulſit. *Diploma* apud *Vghellium*. Quum vero Cremae verſaretur, bona Volaterranae Eccleſiae alienata, ei reſtitui iubet. *Diploma* apud *Vghellium*. Guido Guerra Tuſciae Comes Eccleſiae, & Monaſterio S. Fidelis quaedam donat. *Inſtrumentum* ab *Ammirato* adlegatum.

1186. Henricus VI. Rex in Caſtro S. Miniatis agens cuncta Vallumbroſanae congregationis Monaſteria in patrocinium ſuſcipit, & immunitates indulget. *Diploma* quod exhibemus. In eodem Oppido V. Kal. Septembris dominium, & iurisdictionem Civitatis Volaterrarum, & Caſtra omnia, & poſſeſſiones, & argenti ſo-

An. AEr. Vulgaris.

fodinas Monterii Epiſcopo Volaterrano confirmat. *Diploma ab Ammirato* laudatum. Senenſibus Conſules imperatoria auctoritate eligendi facultatem tribuit, qui tamen quotannis ab Imperatore, vel eius Vicario, inveſtituram gratis accipere deberent. Inſuper facultatem cudendi Monetam, & ius dicendi, indulſit, cenſu LXX. marcharum puri argenti impoſito. *Thomaſius Lib. III.* ex Diplomate Ceſenae dato.

1187. Henricus Rex quum Ficicli moraretur monaſterium S. Salvii ſua protectione communit, eique multa bona, & privilegia concedit. *Diploma* quod proferimus.

1188. Philippus Friderici Imperatoris filius, Etruriae Dux, Eccleſiam Arretinam, eiuſque Canonicos, cum omnibus bonis in clientelam recipit. *Diploma* apud *Vghellium*. Fridericus Imperator, quum in Oppido S. Miniatis eſſet, Ildebrando Epiſcopo Volaterrano, Volaterranum dominium, & plura Caſtella, totumque Epiſcopatum cum argenti fodinis Caſtri Monterii, regaliiſque, concedit. *Diploma* adlegatum ab *Vghellio*. Anſelmus Tuſciae Praeſes. *Coſmas de Arena*. Gregorius Papa, & Fridericus Imperator, Comitatum Florentinis reſtituunt. *Io. Villanius Lib. V. Cap. XIII.*

1189. Henricus Rex Volaterrano Epiſcopo ius cudendi monetam indulget. *Diploma* apud

An. AEr. Vulgaris.

apud *Vghellium* , & apud *Ammiratum* datum Vicerbure.

1190. Fridericus I. moritur. Henricus VI. V. Kal. Septembris , quum Sutriae ageret , privilegia , & immunitates omnes , quas Piſanis Fridericus pater conceſſerat , confirmat , aliaque largitur. *Diploma* quod edimus. Rainerius , & Vguiccio , Marchiones. *Coſmas de Arena*. Ridolphus a Capraria Florentiae Rector. *Villanius Lib. V. Cap. XIV.*

1191. Henricus ſextus , quum Lucae eſſet , privilegium a patre Friderico Eccleſiae Lunenſi conceſſum , confirmat. *Diploma* apud *Vghellium*. Quum vero Prati verſaretur XII. Kal. Martii Monaſterium Vallis Vmbroſae , & alia eiusdem Congregationis monaſteria , ſua protectione munit , immunitateſque concedit. *Diploma* apud *Vghellium in Epiſcopis Feſulanis*. XI. vero Kal. Martii Coenobium Paſſiniani cum multis caſtris ad illud pertinentibus in clientelam recipit , & immunitates indulget. *Diploma* quod edimus. Piſis autem VI. Kal. Martii agens Parthenonem S. Hilarii , cum omnibus Caſtris , Villis , & bonis , ad eum ſpectantibus , ſimili favore proſequitur , patris ſui Friderici veſtigiis inſiſtens. *Diploma* quod exhibemus. V. Kal. Decembris , quum Papiae moraretur , Diploma , quo monaſterium Paſſiniani , antequam Imperatorium diadema accepiſſet ,

An. AEr. Vulgaris.

ſuo patrocinio munierat, confirmat. *Diploma* quod producimus. Monaſterium Ciſtercienſe S. Galgani in agro Senenſi ſitum, quum in Oppido S. Quirici moraretur, in tutelam ſuſcipit. *Diploma* apud *Vghellium*.

1193. Quum Henricus Lunae eſſet, III. Idus Auguſti patrocinium ſuum, & privilegia monaſterio Paſſiniani confirmat. *Diploma* quod edimus. Philippus Etruriae Praeſes, iuxta *Abbatem Vrſpergenſem*, ab Henrico renunciatur: ſed quum viderimus eum anno 1188. iam Etruriae Ducem fuiſſe, vel fallitur *Vrſpergenſis*, vel tantum ab Henrico confirmatus fuit. Piſani XXX. triremes Henrico Imperatori ſuppetias mittunt. *Troncius*.

1194. Henricus IV. Imperator Curtem Piſciae aliaque bona, Guidoni Epiſcopo Lucenſi donat; quo tempore Piſciam Conradus Marchio gubernabat. *Puccinellius ex Diplomatis, & Tabulis Archivi Canonicorum Lucenſium*. Henricus VI. Monaſterium S. Florae Arretinum ſuo patrocinio dignatur, omnia bona, & iura, eidem confirmat, immunitates concedit. *Diploma Tom. II. Bullar. Caſinenſ.* datum Piſis, cuius teſtis fuit etiam Lotterius de S. Geneſio.

1195. Philippus *Dux Tuſciae, Dominus totius Poderis Comitiſſae Mathildae*, vocatur in Diplomate, quo privilegia monaſterio Pado-

An. AEr. Vulgaris.

Padolironenſi confimat. *Tom. II. Bullar. Caſinenſis*.

1196. Fridericus Imperator Eccleſiam Arretinam, & cuncta eius bona, ſub ſua tutela, & protectione, ſuſcipit. *Diploma* apud *Buralium*, datum Laude. Henricus VI. privilegia, immunitates, & ius cudendi monetam, Epiſcopo Arretino, & Eccleſiae B. Donati, concedit. *Diploma* apud *Buralium*. Alberto, Matthaeo, & Gulielmino, Filiis Rainerii de Monte acuto, privilegia quaedam, & immunitates, indulget. *Diploma* apud *Gamurrinium Tom. I.* datum apud Caſtellum Cluſinum. Eosdem ſuo patrocinio dignatur. *Diploma* quod edo, a *Gamurrinio Tom. I.* laudatum, & datum Vitemburgii, X Kal. Iunii. Philippus Etruriae Dux, quum Arretii eſſet, Monaſterio S. Galgani ſub ſua protectione ſuſcepto, privilegia Friderici patris, & Henrici fratris, Imperatorum, confirmat. *Diploma* apud *Vghellium in Epiſcopis Volaterranis*. Idem Eccleſiam Arretinam, & cuncta eius bona, ſua tutela, & protectione, dignatur. *Diploma* apud *Buralium* Arretii datum, in quo omnia caſtra, & Villae, & praedia eius recenſentur, inter quae eſt etiam Sancta Crux. Henricus VI. eidem monaſterio patrocinium immunitatemque concedit. *Diploma* apud *Vghellium ibidem*. Rolandus Comes Tuſciae Palatinus nominatur in Diplomate Henrici

An. AEr. Vulgaris.

rici VI. apud *Buralium* praedicto.

1197. Philippus Etruriae Dux Sueviae Ducatu ab Henrico Imperatore donatur, & in Germaniam evocatur. *Sigonius de Regno Italiae Lib. XV.* Etruriae Civitates foedus inter ſe feriunt, coniurantque libertatis tuendae, & Romanae Eccleſiae defendendae gratia, negantque ſe Imperatorem aliquem, aut pro Imperatore, Rege, Duce, Principe, Marchione, Nuntium ullum, qui pro eis debeat impetrare, ſine adſenſu & ſpeciali mandato Romanae Eccleſiae accepturos. *Tabulae foederis ab Ammirato in Hiſt. Com. Guid. adlatae.* Henricus Faſſius Vicarius Imperialis. *Coſmas de Arena.*

1198. Guelfi Etruriae audita Imperatoris morta animos adeo extulerunt, ut quum Philippus Dux per eos forte dies Montemflaſconem ex Germania revertus adiiſſet, manu milites eius adgreſſi ſint. *Sigonius Lib. XV. de Regno Italiae.* Philippus Imperator electus Piſanos ſibi ſociare ſtudet. *Tronciur.*

1199. Piſani apud Vulturnum cum XX. triremibus Imperatori praeſto ſunt. *Chronic. Piſanum.*

1201. Vgolinus, & Vguiccio, Marchiones. *Coſmas de Arena.*

1202. Guido Guidonis comitis F. Marchio. *Coſmas de Arena.*

1207. Comes Guidoguerra II. Eremo Camaldu-

li

An. AEr. Vulgaris.

li bona quaedam donat, quam donationem Waldrada eius uxor, marito adſentiente, confirmat. *Diploma ab Ammirato* laudatum. Quare fabuloſum eſt quod *Villanius* de Othone IV. & Gualdrada ſcribit, quum Otho IV. anno 1209. exeunte in Italiam venerit.

1208. Otho IV. Imperii habenas ſuſcipit, & die 27. Octobris in Oppido S. Miniatis Senenſibus tributa remittit; & menſe Decembri Fulginii privilegia a Friderico, & Henrico VI. eisdem conceſſa confirmat, aliaque addit. *Thomaſius Lib. IV.*

1209. Otho IV. quum Prati eſſet Piſtorium cum ſuo territorio in clientelam ſuſcipit, & omnia eius iura, poſſeſſioneſque, confirmat. *Diploma* apud *Vghellium in Epiſcop. Piſtor.* Quum vero in Oppido S. Geneſii verſaretur, die X. Februarii Monaſterium S. Salvatoris Fontanae Taonis ſub protectione recipit, & donationes a Marchione Bonifacio, Henrico II., & Comitiſſa Mathilda, factas confirmat. Item alio Diplomate dato die XXV. Octobris Monaſterium Vallis Vmbroſae cum omnibus bonis ſua tutela dignatur, & ius aedificandi folles, & piſtrina, in fluminibus non obſtante Nuntiorum Imperialium contradictione indulget, eaque ab illorum exactionibus eximit. Pariter quum Piſis eſſet die XX. Novembris donationem bonorum monaſterio S. Mariae de Serena a Ghe-

An. AEr. Vulgaris.

Gherardo Comite factam, confirmat; conceditque ut contra illud niſi ſexagenaria praeſcriptio non currat. *Ex Archivis Vallumbroſanis*. *Diplomata* edimus priora duo. Obſervandum tamen eſt haec duo poſtrema Diplomata Indictione VIII. inſcripta ſignari, quum toto Imperatoris Othonis regno octava Indictio numquam obcurrerit. Quum in Oppido S. Miniatis eſſet, Monaſterio S. Galgani in agro Volaterrano, patrocinium, immunitatemque largitur, & bona ei ab Ildebrando Epiſcopo conceſſa confirmat pridie kal. Novemb. *Diploma* apud *Vghellium*. Hoc, ut videtur, tempore Otho Florentiae quoque verſatus eſt, ut tradit *Villanius Lib. V. Cap. XXXVII.* & Caſentinatem agrum Comiti Guidoni ſeniori donavit, ut laudatus *Villanius* loco citato, & *Lib. IV. Cap. I.* memoriae prodidit. Piſani claſſe XL. triremium inſtructa Imperatori ad Prochytam ſuppetias ferunt. *Chronicon Piſanum*.

1118. Otho privilegia, & immunitates Matthaeo de Monteacuto, eiuſque nepotibus, largitur, & iam conceſſa confirmat. *Diploma* apud *Gamurrinium Tom. I.* datum apud S. Salvatorem de Monte Amiato. Et Piſanorum claſſe vectus in Apuliam ditioni Friderici Regis bellum infert. *Sigonius Lib. XVI. de Regno Italiae*.

Hen-

An. AEr. Vulgaris.

1213. Henricus, Imperatoris Mareſcallus, ac S. Quirici & Radicoſani Caſtellanus, facultatem exigendi, ſalvo honore Imperii, in ſua ditione quaecumque a Senae Conſulibus iuſſa fuerint, Senenſibus cencedit. *Thomaſius Lib. IV.*

1214. Arretini, & Commune Caſtellionis Arretini, amneſtia ſtabilita, inter ſe conveniunt, & pacem ſanciunt. *Inſtrumentum*, quod edimus.

1215. Florentini in Guelfos Gibellinoſque ſcinduntur. *Villanius Lib. V. Cap. XXXVIII.*

1217. Rainerius Marchio. *Coſmas de Arena.*

1218. Conradus Epiſcopus Spirenſis, Imperatoris Cancellarius, in Italiam a Friderico miſſus, ut proximum ſuum adventum civitatibus Italiae nuntiaret, & eas ad Sacramentum adigeret, cum ampliſſima poteſtate faciendi quidquid Imperio utile videretur, Senae diploma ad hoc ab Imperatore ſibi traditum in Senatu legit. *Thomaſius Lib. IV.* ex ipſo *Diplomate.*

1219. Comites Guidones foedus cum Florentinis ineunt, & Caſtellum Montis Murli pro Florentinis ſe cuſtodituros promittunt. Ex *Diplomate. Ammiratus.*

1220. Fridericus II. ab Honorio III. Pontifice Maximo coronatus, Eccleſiae Mathildae Comitiſſae ditionem reſtituit. *Nat. Alexander Tom. VII. Hiſt. Eccleſiaſt. Saec. XIII. & XIV. Cap. I. Art. II.* Guidonem, Tigrinum, Rogerium, Marcoaldum, & Aginul-

An. AEr. Vulgaris.

nulphum Guidonis Guerrae filios, Tuſciae Comites Palatinos, de quibus *Villanius Lib. V. Cap. XXXVII.* agit, in ſuam protectionem una cum eorum bonis recipit, conceditque regalia omnia, & omnem iuriſdictionem, in univerſis oppidis, caſtris, villis, & terris, quas poſſident, & quae recenſentur in *Diplomate*, quod proferimus. Albertum, Matthaeum, & Tebaldum, de Monte Acuto privilegiis exornat. *Diploma* apud *Gamurrinium Tom. I.* datum in Caſtello Epiſcopatus Saunen.

1221. Conradus Spirenſis, Etruriae Vicarius, dum Ficicli eſſet, die 10. Ianuarii, Senenſibus privilegia confirmat, & a tributis, & vectigalibus, eximit. *Thomaſius Lib. IV.* Aldobrandinum Aldobrandeſchium, & eius urbem Groſſetum, in tutelam recipit. *Thomaſius Lib. IV. ex Diplomate.*

1225. Fridericus privilegia Eccleſiae Arretinae ab Henrico VI. conceſſa confirmat. *Diploma* apud *Ughellium*, & *Buralium*, datum apud S. Germanum.

1226. Vallumbroſanam Eccleſiam cum omnibus ſuae congregationis monaſteriis in clientelam Fridericus II. recipit, & immunitates, quemadmodum Fridericus I. & Henricus VI. fecerant, indulget. *Diploma*, quod edimus. Hoc eodem anno, menſe Iulio, Indictione XIV. quum in oppido S. Miniatis eſſet, iura & bona

omnia

An. AEr. Vulgaris.

omnia confirmat, quae Abbatiae S. Salvatoris, & S. Mariae de Ficiclo Cadulus, Lotharius, Bulgarellus, Vguizzo, & Vgolinus, Comites Imperiales, donaverant, inter quae bona recenſentur monaſterium S. Bartholomaei de Cappiano, Eccleſia S. Martini, & Eccleſia S. Viti, cum earum bonis. *Ex Archivis Vallumbroſanorum*.

1227. Malpiglius a S. Miniate Senae Poteſtas, *Thomaſius Lib. IV.* Comites Guidi Drudolo Drudi Vgolini filio caſtellum Briſerni, & Podium Vbaldum in feudum dant. *Ammiratus ex Diplomate*.

1228. Fridericus Senenſibus ſcribit, multa querens, quod Pontifex ei iratus ſit, eoſque ad expeditionem in Palaeſtinam hortatur. *Epiſtola* apud *Thomaſium Lib. IV.* data Capuae.

1231. Florentini a Friderico, quum Proceni eſſet, ob bellum Senenſibus contra Imperatoris praeceptum illatum, gravi multa damnantur. *Thomaſius Lib. IV.* ex ipſa Sententia.

1236. Fridericus Etruriae Civitates Romani Pontificis ſocias expugnat, & adfligit. *Villanius Lib. VI. Cap. XIX.*

1237. Piſani, iuſſu Friderici II. una cum Encio eiusdem filio notho, claſſem Genuenſium ad Meloriam inſulam invadunt ac delent, & Cardinales Epiſcopoſque Gallos, & Anglos, Romam ad concilium tendentes, ea vectos, partim capiunt,

par-

An. AEr. Vulgaris.

partim mergunt. *Villan. Lib. IV. Cap. XX.* Quum Melphiae eſſet Bullam Gregorii Pontificis anno 1229. datam, qua concedit Abbati Coenobii Amiatini, ut Ciſtercienſe inſtitutum in ſuo monaſterio obſervetur, confirmavit. *Diploma* apud *Vghellium*.

1239. Fridericus Imperator Lucam, & Piſas, contendit; & Piſis per aliquot dies moratus, Piſanos adverſus Genuenſes Eccleſiae deditos inflammavit, atque Etruriae populos ad ſuas partes traduxit. *Sigonius Lib. XVIII. De Regn. Italiae*. Florentini vetant, ne quis damnum inferat perſonis, & bonis, monaſterii Cultus boni, quod ſuo protegunt patrocinio; poenamque in delinquentes Poteſtatis arbitrio permittunt. *Edictum*, quod exhibemus. Pandulphus Faſianella Vicarius Imperatoris in Tuſcia. *Thomaſius Lib. IV. Coſmas de Arena*.

1240. Fridericus Friderici Imperatoris filius, Antiochiae Rex, generalis in Tuſcia pro Imperio Capitaneus. Ex *Inſtrumento*, quod edimus, & *Coſmas de Arena*. Imperator Senam, una cum filio Antiochiae Rege profectus eſt. *Thomaſius Lib. IV.*

1248. Quum Fridericus ab omnibus Etruriae civitatibus obſides exegiſſet, eoſque ad oppidum S. Miniatis miſiſſet, omnem lapidem movit, ut Florentinos inter ſe ſcinderet, & Guelforum Gibellinorumque factiones in mutuum exitium accende-

An. AEr. Vulgaris.

deret, quod opera Vbertorum effecit. Gibellini Florentini ab Equitibus Friderici adiuti, urbis partem diruerunt: ſed Germani, Guelfos apud Montem Varchium adorti, victi fuſique ſunt. *Villanius Lib.* VI. *Cap.* XXXIV. Etruriae civitates, quae a Friderici partibus ſteterunt, interdicto, ut vocant, Eccleſiaſtico obnoxias fuiſſe, & hoc anno Guidumguerram, & Rugerium, Comites, Eccleſiae Capitaneos fuiſſe, conſtat ex *Bulla* Innocentii IV. & ex *Inſtrumento*, quod ad Chronicon Pontificum, *pag.* 243. iam edidimus.

1249. Fridericus in Etruriam proficiſcitur, & Ficicli commoratur, & mox, quum Gibellini caſtellum Caprariae expugnaſſent, Guelfos Florentinos, qui illud tutati fuerant, captivos ſecum in Apuliam abduxit. *Villan. Lib.* VI. *Cap.* XXXVI.

1250. Fridericus obſides Etruſcorum, ut in Apuliam abducantur, iubet. *Villanius Lib.* VI. *Cap.* XLII.

1251. Conradus una cum Piſanis Neapolim invadit, & obſidet. *Troncius*.

1252. Manfredus cum Gibellinis Etruſcis foedus init. *Villanius Lib.* VI. *Cap.* XLV.

1256. Alphonſus Caſtellae Rex, Imperator electus, & Piſani, foedus ineunt, mutuumque praeſidium promittunt. *Diploma* apud *Troncium*.

1258. Florentini, nequis bona Eccleſiaſtica ſine Pontificis Maximi adprobatione aliena-

An. AEr. Vulgaris.

ta, aut obligata, habeat, prohibent, multa centum librarum indicta. *Edictum* quod edimus.

1260. Guelfi Florentini ad Alphonſum electum Imperatorem rogatum, ut in Italiam adveniat, Oratores mittunt, eique auxilia pollicentur. *Villan. Lib.* VII. *Cap.* LXXV. Gibellini Florentini copias a Manfredo petunt, qui primum centum tantum equites, qui ad Senam caeſi fuerunt, concedit; mox Iordanum Comitem cum DCCC. equitibus ſuppetias Senenſibus mittit. *Villanius Lib. citato, Cap.* LXXVII. *&* LXXVIII. Hunc Iordanum generalem Manfredi in Tuſcia Capitaneum *Chronicon Piſanum* vocat.

1261. Comes Guido Novellus Vicarius Florentiae a Manfredo conſtitutus cum Gibellinis & Germanicis copiis, Lucenſem agrum invadit, & Caſtrum Francum, Sanctam Crucem, Sanctam Mariam ad Montem, Montem Calvum, & Puteum, oppida, Ficiclo fruſtra obſeſſo, capit. *Villanius Lib.* VI. *Cap.* LXXXIV. Menſe Martio Franciſcus Simplex novus Regis Manfredi Vicarius Senam advenit. *Thomaſius Lib.* VI.

1263. Guido Novellus Etruria luſtrata, Guelfos perſequitur; capta Luca, Florentiae etiam dominatur. *Villanius L.* VI. *C.* LXXXVII.

1265. Guelfi Florentini Carolum Andegavenſem adverſus Manfredum ſequuntur. Manfredus autem LXXX. Triremes Genuae, Piſis,

An. Aer. Vulgaris.

ſis, & Neapoli, inſtruxerat, ut invadenti Carolo occurreret, Guidone Novello tunc eius Piſarum Vicario. *Villanius Lib.* VII. *Cap.* III. Lucenſes Guidoni Novello ſe ſubiiciunt. *Ptolemaeus Lucenſis.*

1266. Comes Guido Novellus, quum populum timeret, Florentia cum ſuis copiis Pratum evadit. *Villanius Lib.* VII. *Cap.* XIV. Conradus II. Siciliae Rex Piſas contendit, & multo cum gaudio a Piſanis excipitur, qua de re communi Caſtelli Franci, aliiſque communibus ſociis per Tuſciam, litteras dederunt. *Chronicon Piſanum.*

1267. Guelfi Florentini Carolo Andegavenſi urbis adminiſtrationem ad decennium permittunt; Caroluſque quotannis Vicarium ad Florentiam procurandam mittit. *Villanius Lib.* VII. *Cap.* XV. Omnes fere Etruriae civitates Guelfam factionem, Sena & Piſis exceptis, ſectantur. *Ibid. Cap.* XX. Carolus Andegavenſis laudatus, Neapoleos Rex, generalis Etruriae Vicarius, imperio vacante, a Pontifice conſtitutus, Etruriam ingreditur, & Florentiae magnificenter excipitur. *Ibidem Cap.* XXI. Sancti Miniatis arx Piſanis cuſtodienda traditur. *Chronic. Piſan.*

1268. Conradinus Rex Piſas, mox Senam, ubi aliquandiu moratur, contendit. *Villanius Lib.* VII. *Cap.* XXIII. & XXIV. Conradus II. Siciliae Rex ampla privilegia Piſanis elargitur. *Ammiratus, Hiſtor.*

An. AEr. Vulgaris.

Comit. Guidon. ex *Diplomate*, quod edimus.

1269. Iambertaldus, vel Ioannes Bertaldi, Caroli Regis in Etruria Vicarius, Guelfos Florentinos ductans, Senenſes Germanoſque ad Collem Vallis Elſae caedit; & horum Ducum unus, Guido Novellus fuga evadit; alter, Provenzanus Salvanius occumbit. *Villanius Lib.* VII. *Cap.* XXI.

1270. Guido Comes Montisfortis, Simonis Comitis F. Vicarius Caroli Regis in Etruria. *Coſmas de Arena*.

1275. Rinaldus Caroli Regis in Etruria Vicarius. *Coſmas de Arena*.

1281. Rodulphus Rex ab Etruſcis Gibellinis rogatus, Odonem, ut *Sigonius* vocat; Loldum, ut *Troncius*; Loddum, ut *Borghinius*, Vicarium in Etruria cum trecentis equitibus mittit, qui civitates omnes, & oppida, ſi Piſas, & S. Miniatem excipias, parere detrectantia offendit, fruſtraque bello Guelfos Florentinos, Lucenſes, & alios, adortus, opibus deficientibus, cum his pacem init, & in Germaniam revertitur. *Villanius Libro* VII. *Capit.* LXXVIII.

1282. Rodulphus Imperialis Aulae Cancellarius, & Etruriae Vicarius, Monaſterio Paſſiniani, omnia bona & iura, quae poſſidet, Feudi titulo, interpoſito iuramento, confirmat, dato in Arce S. Miniatis, *Diplomate*, quod edimus. Alio pa-

riter

An. AEr. Vulgaris.

riter *Diplomate* dato in eadem Arce iuriſdictionem omnem, & regalia conſueta Epiſcopo Volaterrano confirmat. *Diploma* ab *Ammirato* laudatum.

1285. Henricus de Fucecchio Epiſcopus Lunenſis ius percutiendae monetae a Rodulpho Imperatore ſibi, & ſucceſſoribus, impetrat. *Diploma* apud *Vghellium* datum apud Alducchem.

1286. Rodulphus Rex, Honorio Pontifice adſentiente, Princivallem Fliſcum ex Lavaniae Comitibus, Vicarium in Etruriam mittit ut iura imperii recuperet. Hic Florentiae in aedibus Modiorum diverſatus a Florentinis, Senenſibus, Lucenſibus, Piſtorienſibus, Pratenſibus, aliiſque Etruriae populis, ſacramentum exigere nequicquam conatus eſt. Quare indignatus Florentinos, alioſque multavit, atque proſcripſit: rebuſque ei in Etruria parum proſpere cedentibus, in Germaniam redire coactus eſt. *Villanius Lib. VII. Cap. CXI.* Ferunt Rodulphum tunc ſuis opibus diffiſum, integram Italiae libertatem, certo pretio, vendere animum induxiſſe: eamque a pleriſque Italiae populis, pecunia redemtam tradunt, *Blondus*, *Bonincontrius*, *Platina*, *Tritemius*, *Cuſpinianus*, *Crantzius*, *Sigonius*; attamen *Borghinius* peculiari diſſertatione id fabuloſum eſſe demonſtravit.

1292. Guido Novellus Arretii naturae concedit. *Annales Arretinorum*.

An. AEr. Vulgaris.

1294. Ioannes de Celoria Burgundus Vicarius ab Alberto Rege in Etruriam miſſus, ſuis copiis Florentinos, & Senenſes adoritur. *Villanius Lib. VIII. Cap. X.*

1295. Ioannes de Celoria, pecunia a Florentinis; aliiſque Guelfis; accepta; in Burgundiam revertitur. *Villanius Lib. VIII. Cap. X.*

1296. Ioannes de Cabillone Adolphi Imperatoris in Etruria Vicarius. *Coſmas de Arena.*

1310. Henricus VII. Florentiam Imperialem Cameram declarare meditatur. *Villanius Lib. IX. Cap. VII.*

1311. Paduanus quidam nobilis, Vicarius Imperialis; Arretium proficiſcitur, & ſopitis Arretinorum diſcordiis, diem obit. Menſe Octobri Florentini Pandulfum Sabellium Romanum; alioſque Imperatoris Oratores; ſuae Vrbis ingreſſu interdicunt, compelluntque recedere: & copiis Petram Sanctam; Sergianumque; miſſis; ne Imperator Genua Piſas venturus tranſeat prohibere conantur. Quare Imperator, Florentinorum proceres citatos multat, atque proſcribit: ſed Florentini haec omnia contemnunt. Interim Henricus Namurcenſis Imperatoris Mareſchallus Piſas concedit; & Florentinos depraedatur; cui copiis ad S. Miniatem miſſis Florentini reſiſtunt: Sed & Imperator Piſas profectus; ubi uſque ad diem 22. Aprilis 1312. commoratus eſt, Lucenſes, & Miniatenſes ado-

An. AEr. Vulgaris.

adoritur. *Villanius Lib.* IX. *Capp. XXV. XXVI. XXVII. XXXIV. XXXVI. & ipſae Sententiae contra Florentinos latae*, quarum ἀντίγραφα ex Bibliotheca Riccardianà eruta, apud me ſervo, olim editurum. Quo tempore Henricus Piſis permanſit, privilegia Abbatiae Verrucae conceſſit, & Eccleſiae Piſanae iam indulta, confirmavit. *Troncius*.

1312. Robertus Neapoleos Rex unà cum Etruſcis, ne Henricus Romae coronetur, prohibere conatur: ſed Imperator, acceptà nihilominus corona, in Etruriam rediens, Cortonam, & Arretium ingreditur. Inde menſe Septembri agrum Florentinum invadit, cuius variis oppidis, & caſtris potitur, inter quae Mons Varchius fuit, ad quem quum caſtrametatus fuiſſet, monaſterium Fratrum Minorum Alverniae ſuo patrocinio dignatus eſt, Vicariiſque Arretinis, aliiſque communibus, ſuis ſociis illud commendavit, ut conſtat ex *Diplomate*, quod edituri ſumus: tandem pugna ad Anciſam cum Florentinis commiſſa, hi victi fuſique ſunt. Quare Imperator Florentiam ipſam obſidet, ſed re infectà diſcedens, varia oppida diſcurrendo capit, donec bello fractus, Piſas reverti cogitur, ubi in Florentinos ſententiam fert, eoſque multat, ac diverſas poenas infligit. *Ioann. Villanius Lib.* IX. *Cap.* XXXVIII. XLIII. XLIV. XLV. XLVI. XLVII. XLVIII.

An. AEr. Vulgaris.

1313. Henricus VII. privilegiorum omnium ab anteceſſoribus Imperatoribus Eccleſiae Piſanae conceſſorum confirmationem ampliſſimam elargitur. *Diploma* apud *Vghellium*.

1316. Vguiccio a Faſiola Piſarum & Lucae Dominus eiicitur: eique Comes Gaddus a Gherardeſca ſubſtituitur. *Villan. Lib. IX. Cap. LXXVI.*

1320. Gaddus Comes, Piſarum Dominus, moritur; eique Comes Nereus ſuccedit. *Villanius Lib. IX. Cap. LXX.*

1327. Piſani Ludovico Bavaro in Italiam ingreſſo pecuniae vim dant, ne Piſas ingrediatur: qui tamen Piſas obſidet & capit; & Lucae, Lunae, Piſtorii, Volaterrarumque Ducem Caſtruccium conſtituit: & tandem a Piſanis oppida quaedam Caſtruccio tradere coactis, ſummam pecuniae maximam exigit. *Villanius Lib. X. Capp. XVIII. XXIV. XXXIV. XXXV. XXXVIII XLVII. XLIX.*

1328. Florentini ad reſiſtendum Imperatori ſe accingunt, qui Piſas profectus, & Magiſtratus reformat, & Tarlatinum Tarlatium Arretinum Vicarium ibidem conſtituit; cui & Petro Sacconi fratri deinde, quum hoc eodem anno Romae eſſet, merum & miſtum Imperium in caſtris Vergareto & Caſtellione concedit, ut ex *Diplomate* a *Buralio* adlegato conſtat. Lucam pariter Caſtruccii filiis aufert, & pecuniae vim a Lucenſibus exigit. Interim ta-

An. AEr. Vulgaris.

tamen Florentini, Roberti Regis copiis ſibi adiunctis, territorium Piſanum populantur. *Villanius Lib. X. Capp. C. CIV. CVIII. CXVI. CXXVI.*

1329. Piſani Vicarium Imperialem, eiuſque copias, urbe expellunt. *Villanius Lib. X. Capit. CXXXV.* Ludovicus Imperator Obizo, Gerardo, & Guelfo de Opezinghis, immunitatem a ſolvendo vectigali Communi Piſarum concedit. *Diploma* datum Piſis, die 28. Ianuarii, apud *Gamurrinium Tom. I.*

1333. Ioannes Bohemiae Rex, Comes Brixiae, & Lucae, Caſtrum Vellani cum territorio & iurisdictione nobilibus Viris Guarzonibus de Piſcia, quod de Sacro Romano Imperio benemeriti eſſent, concedit in feudum. *Diploma* apud *Puccinellium*, datum Lucae. Idem eisdem Guarzonibus dat in feudum *Cerbariam*, & locum, qui Cerbaria dicitur, ac terras, poſſeſſiones, & nemora, & aquas, quae in Cerbaria dicuntur, poſitas in Epiſcopatu Lucano, infra confines inferius deſcriptos, cui Cerbariae, ſeu terrae, ab una parte cohaeret via & ſtrata, per quam itur ad Altumpaſſum verſus Gallenum, & verſus Pontem de Cappiano, & uſque ad dictum pontem, qui eſt ſuper aqua Guſcianae, ſeu eſſe conſuevit, ab alia parte aqua Guſcianae, ab alia parte aqua paludis uſque ad Stallatorium, & qui prope foveam,

An. AEr. Vulgaris.

veum; qui dicitur comitatum Provinciae Vallis Nebulae, poſitum in Territorio communis Vivinariae, ſeu Montis Caroli; & ſicut trahit dictus foveus uſque ad aquam Sibullae; & ab alia parte ſtrata, & via publica, per quam itur ad Altumpaſſum, apud aquam dictae Sibullae, & Eccleſiam Sanctae Mariae Magdalenae, &c. quae ſunt verba ipſa *Diplomatis* apud *Puccinellium*, dati Lucae.

1346. Oppidum S. Miniatis Florentinis ultro ſe dedit. *Villanius Lib. XII. Cap. LXXXI.*

1354. Piſani Mantuam oratores ad Carolum IV. Imperatorem mittunt rogatum, nequid in ſua urbe, quam ipſi obferunt, immutare velit, quod quidem ille promittit. Sed quum Piſas poſtmodum acceſſiſſet, exacto ſacramento, regiminis formam variavit. Interim Florentini, qui ſe ab Imperatore adveniente defendere decreverant, Legatos ad eum pariter mittunt, qui coram eo nullam ſubiectionem praeſeferunt, contra quam Senenſium Legati faciunt; & Volaterrani, ac Miniatenſes, qui Imperatori ſe dedunt. *Matthaeus Villanius Lib.* IV. *Capp.* XXXII. XXXVIII. XLII. XLIV. XLVIII. LI. LII. LVIII. LIX. LX. Interim Imperator Lucam tendit, negatque Lucenſibus libertatem ſe permiſſurum.

1355. Sed inter Imperatorem Florentinoſque concordia demum initur, qui illi homagium

An. AEr. Vulgaris.

gium,& ſacramentum certis conditionibus praeſtant, inter quas, ut autonomia gaudeant; legibus prius ab Imperatore confirmatis; Prioreſque ſint perpetui Vicarii Imperatoris, &c. *Idem Capp.* LVI. LXXII. Imperator, die 3. Iunii, ſponte ſua Florentiam undecumque liberam declarat. *Matth. Villanius Lib. VI. Cap. LXXII.* Sed in anteceſſum quum Piſis eſſet IX. Kal. Martii conceſſit Philippo Epiſcopo Volaterrano, ut Volaterris, in earumque Dioeceſi, atque uniuerſa Etruria, cauſas omnes tam criminales, quam civiles, cauſſaſque adpellationum, quae ad Imperatoris curiam ſpectarent, decidere poſſet; perque totum Romanum Imperium Iudices, Tabelliones, & Notarios publicos conſtituere: Tutores, & Curatores, & Mondualdos dare: nothos filios legitimos declarare ei liceat. *Diploma* apud *Vghellium*, & *Ammiratum*. Die XXII. Martii Piſis diſcedens Imperator, Volaterras ſe contulit, atque inſequenti die ad oppidum S. Miniatis. *M. Villanius Lib. IV. Cap. LXXVII.* Hoc pariter anno X. Kal. Iunii, quum Piſis itidem verſaretur, Eccleſiam Volaterranam annuo XXX. Marcarum argenti cenſu, quem pro Caſtri Monterii Argentifodinis ſolvebat; annuoque XXX. Marcarum argenti fodro, liberat, immunemque declarat. *Diploma* apud *Vghellium*, inter cuius rei teſtes, etiam

An-

An. Alr. Vulgaris.

Angelus Marchio Montis S. Mariae Princeps recenſetur. VI. tamen Non. Maias Senae, (quo die XXIV. Martii pervenerat, ut tradit *Matth. Villanius Lib. IV. Cap. LXXVII.* & civitatem ſuae libertatis pertaeſam, in ſpontaneam deditionem receperat, ibique ſuum Vicarium, Pragenſem Archiepiſcopum, conſtituerat. *Ibidem Cap. LXXIX.* Sed Sena profectus Romam deinde petiit, ubi die V. Aprilis coronatus eſt, & die XIX. eiuſdem menſis Senam iterum pervenit. *M. Villanius Lib. V. Capp. II. & IX.*) erat Imperator, ibique multa privilegia Arretinis indulſit, & regiminis formam iuxta eorum ſtatuta tribuit, & Priores ac Vexilliferum Vicarios generales declaravit, & merum mixtumque imperium conceſſit, & iurisdictionem omnem confirmavit. *Diploma*, quod editurus ſum. Die XXV. Februarii Carolus IV. Familiae Guarzoniae Piſcienſi Vellani dominium, aliaque privilegia, confirmavit. *Diploma* apud *Puccinellium*. III. Non. Iunii iisdem Guarzonibus dat in feudum terram Caſtriveteris, in Vicaria Vallis Arianae Lucani diſtrictus, ſitam. *Diploma* apud *Puccinellium*. Carolus IV. die decima Iunii Petraeſanctae verſabatur. *Diploma* apud *Puccinellium* in *Memorabil. Piſciae*. Imperator Senam dominio Patriarchae fratris ſui ſubdit. *Matth. Villanius Lib. V. Cap.*

An. AEr. Vulgaris.

Cap. XX. & die 5. Maii S. Miniatem concedit. *Idem Cap.* XXII. Die XXVII. Maii, Patriarcha, Senenſibus contra inſurgentibus Sena diſcedit, ut ad Imperatorem ſe conferat. *Idem Cap.* XXXVI. Antorgus Maraialdus Auguſtanus Epiſcopus Piſis ab Imperatore Vicarius conſtituitur. *Ibidem Cap.* XXXIX. Senenſes Vicarium ab Imperatore poſtulant, miſſumque ſe recepturos negant. C. XXXXI. Imperator, quum Petraeſanctae eſſet, multam a Piſanis exigit. *Cap.* XXXXIII. Imperator Vgolinum, Angelum, Guidutium, & Petrum, Marchiones Montis S. Mariae, hoc eodem caſtro, Marzania, Lippiano, & Reſchio inveſtit; eiſque omnia privilegia confirmat. *Diploma* datum Piſis XVII. Kalen. Iunii, apud *Gamurrinium Tom. I.* Franciſco Caſtracanis de Antelminellis Lucenſi Vicariam Corelliae de Carfagnana cum omnibus caſtris ad eam pertinentibus in feudum dat. *Diploma* datum Piſis apud *Gamurrinium Tom.* II. Carolus IV. Nicolao, Tebaldo, & Alberto de Monte Acuto privilegia ab Henrico VI. Othone IV. Friderico II. conceſſa confirmat. *Diploma* apud *Gamurrinium* datum Senis V. Nonas Maii Indict. VIII.

1356. Carolus IV. Sacramento ab Arretinis accepto, in integrum eos reſtituit, legitimumque Comitatum & territorium adſignat,

An. AEr. Vulgaris.

ſignat, oppidis univerſis, caſtris, villiſque enumeratis, praetereaque cudendi monetam facultatem indulget, & Gymnaſium litterarium inſtaurat. *Diploma* apud *Buralium*, datum Senae.

1358. A Carolo IV. Auſtriae Dux, Rex Langobardorum renunciatur. *M. Villanius Lib.* VIII. *Cap.* XCVIII.

1376. Carolus IV. Guarzoniae Familiae Piſcia oriundae ampliſſima privilegia concedens, Comites eos Palatinos creat,& facultatem faciendi Tabelliones, & Notarios publicos; Tutores, Curatores, & Mundualdos dandi; Nothos legitimandi, largitur. *Diploma* apud *Puccinellium*, datum Nurembergae.

Tandem, ut qui Etruriae ſtatus, eiuſque conditio anno 1376. eſſet, plenius intelligatur, lubet heic apte inſerere *Notitiae* cuiusdam *Status Etruriae* excerpta, qualia ab eruditiſſimo *Pet. Lambecio Lib.* II. *Commentariorum de Bibliothec. Caeſarea Cap.* VIII. proferuntur, qui eam Notitiam in inſigni Volumine MS. *Aureae Bullae Caroli IV.* appendicis loco cum aliis monumentis ſubiunctam invenit, & olim integram publici iuris facturum ſe recepit. Illa vero praedicto anno ſcripta fuit. Ea igitur ita habent:

Civitates, & Caſtra, quae ſunt in Liga & ſocietate contra Dominum noſtrum. (*hoc eſt, Carolum IV.*)

Florentia, Luca, Sena, Peruſium, Piſtorium, Pratum, Sanctus Miniate, Sanctus Geminianus, Colle, Civitas Caſtelli. Ci-

Civitates & Caſtra, quae non ſunt in dicta Liga, ſed ſunt Imperii.

Maſſa, Groſſetum, Monte Pulciano, Monte Alcino, Certonium, Cloſin, Caſtrum Plebis, Civitas Caſtelli, Aretium, Burgus S. Sepulcri, Vrbevetero, Cornetum.

Terrae, & Caſtra de Comitatu Florentiae, quae ſunt Imperij Sacri.

Recenſentur deinde primo, In Valle Peſe *quadraginta loca*, *quorum primus* Caſtrum Montis Lupi, *ultimus autem* Caſtrum Montis Campoleſi: *ſecundo in* Contrata Vallis Eliſae *triginta loca*, *quorum primus* Caſtrum Burgi de S. Flore, *ultimus autem* Caſtrum de Rinczine: *tertio* de partibus Mucelli, *loca tredecim*, *quorum primus* Caſtrum Montis Chucholli, *ultimus autem* Caſtrum Burgi S. Laurentii: *quarto in* Val di Biſenzo *loca duodecim*, *quorum primus*, Commune de Legni, *ultimus autem* Commune de Signa. *Sequitur hinc novus iſte titulus*.

Caſtra & terrae de Comitatu Florentiae.

In Val di Robiata.

Caſtrum de Muſignano, Caſtrum de Gavignano, Caſtrum de Tuzano.

In Val di Sieve.

Recenſentur deinde loca vigintiquinque, *quorum primus* Caſtrum de Magnale, *ultimus autem* Commune de terra Parganeſe.

In Val di Biſenzo.

Caſtrum de Monte Murlo, Caſtrum de Capelle, Ca-

Caſtrum de Campi, Caſtrum de Calenzano, Caſtrum de Leccio.

De partibus Mucelli.

Recenſentur deinde loca quindecim; quorum primus Commune de Rabacca; *ultimus autem* Commune de Rabiacanina.

De Partibus Vallis Grieve.

Recenſentur deinde loca tredecim, quorum primus Caſtrem Bonizi, *ultimus autem* Caſtrum Panzani.

In Chianti.

Recenſentur deinde loca octodecim, quorum primus Caſtrum Montis Raynaldi, *ultimus autem* Commune de Albola.

In Val d'Arno.

Recenſentur deinde loca quadraginta unus, quorum primus Commune di Montaia, *ultimus autem* Caſtrum de Sancto Ellero. *Sequitur hinc novus titulus.*

Lucana civitas, & ſex miliaria.

Recenſentur deinde loca vigintiquinque, quorum primus Commune Pleberiae Computi, *ultimus autem* Commune Montis S. Petri. *Sequitur hinc novus titulus.*

Haec ſunt Caſtra, quae Lucanum Commune tenet de Comitatu Piſtorii.

Recenſentur deinde loca viginti, quorum primus Caſtrum Seravalle, *ultimus autem* Commune Vinacciani. *Sequitur hinc novus titulus.*

In-

Infraſcripta ſunt Communia, quae detinentur per Lucanum Commune, & ſunt Romani Imperii, videlicet:

In Valle Arni.

Recenſentur deinde loca quindecim, *quorum primus* Caſtrum Montis Topoli, *ultimus autem* Commune de Staffoli.

In Valle Nebula.

Recenſentur deinde loca octodecim, *quorum primus* Caſtrum Montis Vettolin, *ultimus autem* Caſtrum Vivinariae.

In Valle Ariane.

Recenſentur deinde loca novem, *quorum primus* Caſtrum Medicinae, *ultimus autem* Caſtrum S. Quirini.

In Pleberio Villae Baſilicae.

Recenſentur deinde loca quatuor, *quorum primus* Commune Villae praedictae, *ultimus autem* Caſtrum Colognore.

In Valle Lune.

Recenſentur deinde loca ſedecim, *quorum primus* Caſtrum Montis Fegateſis, *ultimus autem* Caſtrum Lulglavi.

In Provincia Garfagnane.

Recenſentur deinde loca octoginta, *quorum primus* Caſtrum Peſcalliae, *ultimus autem* Commune Plebis Foſciani.

In Provincia Lunifciane.

Recenſentur deinde loca octodecim, *quorum primus* Caſtrum Verrocole Puoſi & eius diſtrictum, *ultimus autem* Commune Montis Tignoſi.

In Verſillia.

Recenſentur deinde loca viginti novem, *quorum primus*

mus Commune Burgi Petraſanctae, *ultimus autem* Commune de Bozzano. *Sequitur hinc novus titulus.*

Haec ſunt Caſtra, quae tenet Lucanum Commune de Comitatu Piſano.

Recenſentur deinde loca undecim, quorum primus Caſtrum Bientine, *ultimus autem* Caſtrum Motronis. *Sequitur hinc novus titulus.*

Iſtae ſunt terrae, quas tenet Epiſcopus Vulterranus, & ſunt Romani Imperii.

Recenſentur deinde loca tredecim, quorum primus Caſtrum Berignone, *ultimus autem* Caſtrum Gambaſſi. *Sequitur hinc novus titulus.*

Hae ſunt terrae, quas tenet Commune Vulterranum, & ſunt Romani Imperii.

Recenſentur deinde loca viginti octo, quorum primus Caſtrum Ripamarancia, *ultimus autem* Caſtrum la Corte de Voltraria. *Sequitur hinc novus titulus.*

Infraſcripta ſunt Caſtra ad Dominum Imperatorem, & ad Romanum Imperium pertinentia, quae poſſidentur & detinentur a Communi & Civitate Senarum.

Recenſentur deinde loca nonaginta ſex, quorum primus Caſtrum Montaguculo de Boſcho, *ultimus autem* Roccha, quae dicitur Roccha filiorum Tedeati.

Notabile etiam eſt quod in eorumdem locorum recenſione bis ſit mentio Camerae Imperii, & eius Vicarii, *hoc modo:* Caſtrum Orgie, quod erat Camera Vicarii Imperii fuit deſtructum a Guelfis Civitatis Senarum. Caſtrum S. Quirici in Oſenna Camera Imperii, & ſui Vicarii.

Hactenus illa. Hanc igitur qualemcumque rerum Etruſcarum Synopſin, antiquorum diplomatum, & monumentorum, intelligentiae, ut arbitror, mirabiliter profuturam contexui, ut eodem etiam tempore Lectoribus, qui hebeti prorſus ingenio non ſunt, utilitatem illam perſpectiſſimam facerem, quae ex vetuſtorum huiuſmodi inſtrumentorum cognitione ad hiſtoriam illuſtrandam locupletandamque, chronologiamque ad amuſſim exigendam, evidenter opportuneque proficiſcitur. Hinc Viri multa doctrina conſpicui, & haud quidem obeſae naris Critici, ut *Ughellius*, *Borghinius*, *Ammiratus*, *Coſmas de Arena*, *Florentinius*, *Gamurrinius*, *Troncius*, *Puccinellius*, *Buralius*, *Grandius*, *Nardius*, *Valſechius*, *Soldanius*, aliique non pauci inter noſtrates, haud aliis iactis fundamentis ſuos commentarios hiſtoricaſque diſſertationes ſuperſtruendas eſſe recte ac ſapienter exiſtimarunt, nec alia ratione in certam hiſtoriae comprehenſionem devenire ſe poſſe ſperaverunt; ut exteros viros longe doctiſſimos ſilentio tranſiliam, qui cum in aliis Italiae regionibus, tum in Gallia, & Germania, & Britannia, eamdem tutiſſimam fidei hiſtoricae inveſtigandae, viam magna cum laude, & adprobatione, inierunt. Vtinam tantorum Virorum conſpectu reſipiſcant quidam ignaviae ignorantiaeque patroni, & merito pudore ſuffuſi ſtudia huiuſmodi, & lucubra-

 tio-

tiones, elevare iam deſinant, ne eruditis, prudentibuſque, viris ludibrium debeant, & ignominia patriam ipſam, nil tale merentem, eodem tempore adficiant. Verumtamen, utcumque illi ſe habeant, coeptis hiſce laudatiſſimis inſiſtere minime ſuperſedebo, non gloriolam quamdam capturus, ſed ut honeſte me occupem, & pro virili, praeſenti aetati, futuriſque ſaeculis, proſim. Stulte enim quidam aut invidia, ut uſuvenit, tabeſcentes, aut malignitate acti, famam, & inanem gloriam, vile ſtudiorum honeſtiſſimorum pretium, a me aucupari huiuſmodi laboribus iactitant, & eo quoque caecitatis atque hebetudinis devenere, ut, ſi quid a me etiam in argumento leviſſimo, & quale Grammaticorum exiles & laciniosae quaeſtiones eſſent, elucubretur, ſtatim nominis claritatem, & celebritatem famae a me quaeri, falſis rumoribus praedicent. Non me enim fugit adeo depuduiſſe quoſdam; ut facta atque infecta canentes, ſpargere in vulgus veriti haudquaquam ſint, me, quaſi gloriae animal, & popularis aurae vile mancipium, eam Apologiam, quam ſecundo harum Deliciarum Volumini praefixi, in eum finem concinnaſſe, ut aliquam opinionem colligerem, & doctrinam meam popello venditarem. Sed quis medium his unguem non oſtendat, neque eos iuſtiſſime traducat, quaſi huiuſmodi futilibus nugis alienam aeſtimationem mihi conciliare opus habeam, qui iamdiu (nam modeſtiae fines iam transgredi licet) elaboratis voluminibus editis, & de Verbi aeterni cum Patre unitate, & de S. Trinitatis myſterii veritate, non ſine doctorum hominum adprobatione diſſerui? qui exoptatam magnificamque Operum Io. Meurſii omnium editionem adorno? qui abſtruſa veterum monumenta e tenebricoſis latibulis

eruo

eruo, & in lucem clariſſimam profero? qui non contemnendam de ciſtis myſticis diſſertationem publici iuris iam feci? a quo ſaepe ſubitaneis, & improviſis ſermocinationibus & problemata propoſita reſolvi, & copia adfluentis eruditionis interrogantes obrui, per ora vulgi iam volitat? Nae lepida capita! qui ſi perſuaſum habere poſſunt, eiuſmodi Grammatica diſputatione famam me clarumque nomen comparare ſtuduiſſe, haud equidem alios libros evolverint oportet, quam Paridis & Viennae mileſias, & feſtivas de Bertoldino fabellas, ut magnum aliquid, & quo uno in illuſtre nomen ire poſſim, Grammaticas quisquilias, & inanes illas tricas & ineptias, exiſtiment. Ipſe quidem liquide, & ſancte, iuraverim, me adeo invitum, & repugnantem, eiuſmodi operi manum admoviſſe, ut, dum cogerer tempus ſtudiis gravioribus debitum, & ingenium meliora petens, eo inutiliter terere, quicumque me ad laborem illum improbum & importunum adegiſſet, vehementiori licet imprecatione, non ſemel ad Gemonias amandaverim. Sed ut cornicum oculos configam, & mendacii meos obtrectatores manifeſtos revincam, ſuperbiam iterum, ſtatim poſiturus, ſumam neceſſe eſt, & ſuam ignaviam & imprudentiam, nequid gravius dicam, eis ob oculos ponam, demonſtrando me adeo ea Apologia ad claritatem nominis comparandam non indiguiſſe, ut multo ante iam remotiores Europae regiones ingenii mei, laudatorumque ſtudiorum, non ignobilis fama penetraverit. Nonnullas igitur ad hoc comprobandum de multis, quas exteri dignitate & doctrina clariſſimi ad me dederunt, Epiſtolas proferam, ex quibus quilibet diiudicare facile poterit, quam falſo & impudenter ſimilia de me iactitentur. Quid quod? Sed motos praeſtat componere fluctus, quum

alienam famam atque eruditionem credere malim, quam penſare, & ad memoratas litteras exhibendas devenire. Ii autem, quorum litteras profero, ſunt *Io. Baltbaſar Starkius*, Ducis Saxo-Hildburgus. Conſiliarius; *Guſtavus Benzelptierna*, Regis Sweciae a Bibliotheca; *Io. Grammius*, Regis Daniae a conſiliis, Bibliotheca, Tabulis publicis, & Graecarum litterarum Hafniae Profeſſor; *Abrahamus Gronovius* Lugdunenſis Batavus Profeſſor, vir tam ſua, quam maiorum ſuorum doctrina, clariſſimus; *Iacobus Bruckerus* Auguſtanus, ac Cauſbyrae Scholarcha celeberrimus.

Viro Illuſtriſſimo Doctiſſimoque Domino
D. IOANNI LAMI
Hiſt. Eccleſiaſt. in Academia Florentina
Profeſſori Publico,
& Riccardianae Bibliothecae
Praefecto
S. P. D.
Ioannes Balthaſar Starkius,
Sereniſſimi Ducis Saxo-Hildburgus.
Conſiliarius.

SIſtunt ſe oculis tuis litterae a manu tibi prorſus ignota ſcriptae, at, ut facile coniicies, minime ad ignotum. Tanta iam dudum fama tua erat, quam tot tantaeque lucubrationes egregiae tibi peperere, ut Italorum limitibus contineri non poſſet, quin potius ad exteros cis & ultra montes degentes feſtinanti curſu penetraverit, Lamiique nomen de re litteraria optime meritum ab omni poſterorum oblivione vindicaverit. Fieri adeo non potuit, Vir Illuſtriſſime, quin etiam de Germanis, priſcae fidei heredibus, innoteſcerent merita

rita, quibus litterarum & eruditionis amantes de novo tibi devincire curae habes cordique, dum & edendis anecdotis diverſorum diverſi argumenti, quae adhuc in Bibliothecarum pluteis ſepulta quaſi iacuerant, & iterandae editioni Operum cel. Meurſii, in unum, ut ita loquar, agmen cogendorum, operam iam impendere humeris tuis non imparem, publicis litteris teſtatus fueras. Non multum temporis ante Venetias adire a Principe meo clementiſſimo iuſſus ſum, ad ibidem curanda, quae ad eum ſpectant, quam duplicem iſtum laborem a Te, Vir doctiſſime, ſuſceptum iri in commune bonum, ex novis noſtris litterariis comperi. Interim Vir, ſcriptis ſuis bene multis meritiſque ceteris itidem clariſſimus, D. D. Iacobus Guilielmus Freverlinus, Praeceptor quondam meus, dum Philoſophiam in Vniverſitate Norica, quae Altorfii eſt, communi adplauſu f. t. publice profiteretur (nunc paucis ab hinc hebdomadibus ad Theologiae profeſſionem primariam obeundam in Academia Gottingenſi, in Electoratu Hannoverano recens fundata, Decreto Regio vocatus) per litteras ad me datas mihi ſignificavit, ſe duas *poſſidere* Diſſertationes de Vita & ſcriptis Meurſii, *quarum una olim a B. Mollero Profeſſore publico Altorfino, altera a D. Schrammio Lipſienſi, ibidem anno* 1715. *publice ventilata fuit. Si forte binae hae Diſſertationes Academicae (quibus ea, quae de Meurſii Vita ſcriptiſque vulgo circumferuntur, ad minimum confirmantur, ſit ita, ut iisdem cauſae Meurſianae lumen novum non accendatur,) in manu tua non fuerint, ipſe ſeſe obfert, eaſdem aut impreſſas, aut accurate deſcriptas, tecum communicare. Vtrique & tibi & illi, quod opinor, inde naſcetur occaſio, ut per commercium quoddam litterarium, quod in primis Vir ille magni nominis tecum ceu altero Magliabechio ini-*

re exoptat, alter alteri magis magiſque innoteſcat. En adeo auctorem; Vir celeberrime, qui tacite me impulit, ut litteris hiſce animum praedicta ratione tibi inſerviendi cupidiſſimum declararem. Sin eas reſponſione dignas iudicaveris, reſponſorias, ſi placet, harum latori D. Nagelio, pictori vere Germano, in aedibus Stoſchianis adhuc commoranti, ut tradendas cures, rogaris. Meurſii liber variorum divinorum *in manus meas hic loci nuper incidit; refertur ille in Catalogo in numero deſideratorum. Pretium, quo forte emi poſſet adhuc ignoro; ſed iuſſus in id inquiram. Notas in Aſtrampſychi Oneirocriticum, quae inter ἀνεκδότους l. c. referuntur, legiſſe me memini, niſi me omnia fallant, aut in* Solone *eius, aut in tr.* De luxu Romanorum, *appendicis loco adnexas. Sed haec quaſi per tranſennam dicta ſunto. Vale, Vir magne, Deoque, Tibi, & Reipublicae litterariae quam diutiſſime vive.*

Datum Venetiis ipſis Idibus Februarii. A. R. S. CIƆ IƆ CCXXXVII.

Ioanni Lamio V. Clariſſimo
Ioannes Grammius
S. D.

QVantum mihi gaudii attulerit iteratus ille a vobis nuntius de editionis Operum Meurſianorum progreſſu, verbis nequeo exprimere: non ſolum quod confirmatam denuo optatiſſimam rem viderem, ſed praeſertim quod eamdem perciperem tuis, celeberrimi, doctiſſimique Viri, arbitrio & conſiliis dirigi, in quo omnino plurimum momenti ſitum eſſe, cuncti mecum gnari adgnoſcent. Id autem incredibile eſt quam me delectavit,

vit, quod ex huiuſmodi occaſione mihi ortum eſt boni, ut, quum & ego tuum nomen, Vir praeſtantiſſime, inter prima Italiae ornamenta numerandum, iamdudum tacita veneratione proſequutus ſim, & tu ex meae in communia ſtudia voluntatis declaratione, me noſſe aliquantulum coeperis, maioris cuiuſdam notitiae, & forſitan quoque amicitiae, fores tibi, ſi utraque me dignum habueris, mihique, qui utriuſque ſum cupidiſſimus, apertae videantur. Ego certe, modo, ne tu conditionem ſpreveris, id operam dabo ſtudioſiſſime, ut quandoquidem ea eſt mei ingenii tenuitas, & ita ſunt in me modicae litterae, ne ſperare ſemper poſſim ab inopia mea homini omnis doctrinae theſauris abundanti ſatisfactum iri, tamen numquam non animadvertas, Tui me eſſe obſervantiſſimum. Nunc ad diſertiſſimam Epiſtolam tuam accedo, in qua primum illud, unde voluptatem cepi non mediocrem, fuit, &c.

Hafniae XII. *Kal. Aprilis* MDCCXXXVI.

Rever[mo] *Eruditiſſimoque Viro*
D. Ioanni Lamio
Abrahamus Gronovius
S. P. D.

M*Aximo gaudio animus meus nuper ſuffundebatur ad conſpectum litterarum tuarum, e quibus intellexi qualemcumque operam noſtram, quam tibi per Illuſtriſſimum Archiepiſcopum Nicaenum obtuleram, in adiuvando laudabili propoſito tuo, quod tam alacriter cepiſti exornanda Operum Meurſianorum editione, minime iniucundam fore. Ne igitur officio, quod ſponte mea in me ſuſceperam, deeſſem, &c.*

Datum Leidis A.D. XV. *Kal. Iul. Anno* MDCCXXXVI.

Viro

Viro nobiliſſimo, ampliſſimo, celeberrimo
D. Ioanni Lamio,
In Acad. Flor. P. P. famigeratiſſimo,
S. P. D.
Iacobus Bruckerus.

Recte ad me his diebus, curante generoſiſſimo Koepfio noſtrate, redierunt tranſmiſſa folia, complectentia quae non ingrata tibi adveniſſe laetus ex humaniſſimis tuis perſpexi. Gratulor mibi, me obſtetricante, folia iſta ampliſſima collectione tua non indigna ob famam virorum, quorum manum & mentem de ea exbibent, in tuas manus deveniſſe, oblivioni ita ſubtrahenda. Faxit Numen, ut animi corporiſque viribus integer, & valentiſſimus tum huic, tum reliquis, quae meditaris operibus, praeeſſe valeas, ſicque aeternitatem nominis diu tam bene partam augeas & multiplices. Quod certe in his Germaniae noſtrae oris eo certius futurum eſt, quo magis eruditi noſtri, quam noſtri ſeculi felicitatem puto eſſe, in pretio eruditioni ſtatuendo aequi, tuae eruditionis honorem hactenus depraedicarunt, inter quos Lipſienſes, in foliis hebdomadariis, quibus res geſtas eruditi Orbis in modum novellarum, quas vocant, indicant, conatus tuos mature indicarunt, & iam nupero Auguſto menſe conſilium edendorum ἀνεκδότων recenſuerunt, &c. Doleo vero valde te noſtrae linguae uſu deſtitui, in qua noſtri ſeculi mere pleraque mea conſcripſi, ut haberem, quae porro ad te mitterem: ſunt quoque multa, quae paſſim in Diariis eruditis interſperſa ſunt, quorum omnium hic habes notitiam, parem, ſi ita commodum eſt, de eruditiſſimis lucubrationibus tuis mihi facturus. Quod vero non humanitate ſolum, ſed & liberalitate erga me uti vis prorſus ſingulari, totum me tuo aeri reddis

Digitized by Google

dis devinctiſſimum. Notabo candido lapillo diem, qui me tuis lucubrationibus beabit, bibliotheculae meae novam ex egregiis lucubrationibus induet ſuperbiam. Tu modo, Vir eruditiſſime, impera, qua ratione tibi porro uſui commodove ſtudium meum, Tibique inſerviendi diligentia eſſe queat, & favore tuo, quod facis, dignare porro me tibi devotiſſimum. Vale.

Scrib. Idib. Octob. A. S. R. CIↃ IↃ CC XXXVI.

Ampliſſimo, & eruditiſſimo Viro
Dom. Ioanni Lamio
Profeſſori Academiae Florentinae,
& Riccardianae Biblioth. Praefecto celeberrimo,
S. D.
Guſtavus Benzelptierna.

SI tanto, ac non modo vellem, ſed & par eſſet, verborum ornatu reſpondere ſuſciperem Epiſtolae tuae humaniſſimae, & mihi perhonorificae, datae Nonis Octobris huius anni, vereor ne in grati animi teſtificatione imparem me adgnoſcerem ei in ſcribendo orationis elegantiae, quae genti veſtrae fere propria eſt. Sic ergo habeto, Vir celeberrime, ne quidquid officii a me praeſtari potuerit, &c.

Dat. Stokolmiae XVI. *Kal. Ianuar. An.* MDCCXXXVII.

Viro ampliſſimo, doctiſſimo, celeberrimo
Dom. Io. Lamio
S. P. D.
Bruckerus.

TRanſmiſit humaniſſimas tuas Gen. Koepſius, faſciculum vero Merzius Bibliopola. Quantum ego poſſum pro utroque tibi debeo, tum pro benevolentia tua, qua lit-

litterae tuae turgent, tum pro munere litterario πολλῶν ἀντάξίῳ ἄλλων. Vtinam in me eſſet, quo tantum amorem tuum mereri liceret: habebis tamen me totum tibi devotiſſimum, tuiſque deſideriis addictiſſimum. Glyeae Epiſtolas, vel Diſſertationes potius Epiſtolicas, cum delectatione perlegi, quibus tamen longe antecellit eruditiſſima praefatio, &c.

Auguſtae Vindelicorum die XVIII. *Iunii* MDCCXXXVII.

Quod ſi adhuc velint meo etiam Prologo Galeato edito Viris doctis, & humanitate praeſtantibus, me maxime adprobaviſſe, id quidem inficias non ierim, & illum pleriſque placuiſſe gloriae mihi & laudi vertam: atque ut horum opinionem confirmem, interiorem epiſtolae partem producam, quam Vir clariſſimus, & multis nominibus ſubſpiciendus, *D. Thomaſinius de Maſaugues*, Aquenſis Curiae Praeſes digniſſimus, Roma ad me dedit. Illa autem eſt quae ſequitur: *I' ai lu avec plaiſir la forte & ſolide Apologie contre les cenſures de vos critiques, qui doit leur fermer entierement la bouche. Ie le ſouhaite a fin qu' ils ne vous faſſent pas perdre votre temps en reponces & en perſonalites. Vous aves pourtant trouvè moien de repandre beaucoup d' erudition, & de remarques utiles, dans votre defenſe perſonelle, & ſur tout de faire connoitre bien de MSS. nouveaux de la Laurentiane, &c.* Et haec quidem omnia diſſerui, ut calumniatoribus meis linguam obcluderem, eoſque demonſtrarem quales quidam olim nonnullos eſſe adſeverabat inquiens: *Quum loqui neſciant, tacere non poſſunt;* & ut virtutem, integritatem, pietatem, doctrinam eminentiſſimorum Cenſorum, qui, quum ſuperiorum Magiſtratuum iuſſu, meam Apologiam, ad Chriſtianae iuſtitiae & Moralis normam exigentes, examinaviſſent,

& adprobaverunt ſapienter, & ut ederetur iuſtiſſime conſenſerunt, magis atque magis teſtatiſſimam facerem. Nihil autem in his omnibus dictum velim, quod famae & exiſtimationi *Ang. Mariae Riccii*, Graecarum litterarum in Florentina Academia Profeſſoris egregii, & collegae mei praeſtantiſſimi, obſicere videatur. Etſi enim Apologiam illam adverſus eum pene totam exaraverim, non id tamen odio in eum & indignatione aliqua egi, quum eius ſemper amicitiam plurimi fecerim; ſed tantum ex eius criticis in me animadverſionibus, occaſionem adripui litterariam exercitationem conſcribendi, cuius utilitatem nonnullam rerum Grammaticarum ſtudioſi, & Philologiae amantes, facile adgnoſcent; & meam famam, & exactam in commentariis vel edendis vel ornandis diligentiam, a malevolis quibusdam & adgreſſoribus meis tutam & inacceſſam efficerem. Quod ſi forte, dum dilutam decoctamque orationem evito, aliquid aut falſius, aut amarulentius, effudi, quod aegro animo memoratus vir eruditiſſimus ferat, & ſuo decori aliquatenus derogare arbitretur; ipſe quidem ingenue profiteor, id mihi vel invito excidiſſe, vel iniurioſum minime exiſtimaſſe, quod & plerique alii Viri ſapientiſſimi ſerio iudicatoque cenſuerunt.

CONradus primus Imperator, annis viginti. Hic ſtatuit, ut pacem conſervent, & quicumque Ducum eam frangeret, decollaretur; & apud eum accuſatus Comes Luppoldus, fugit in ſilvam, & ibi cum uxore ſua in tugurio latuit. Imperator venatu, ſolus caſu relictus, nocte apud eos dormiens, audivit, quod quem mulier uxor Comitis

mitis tunc peperit, eſſet gener ſuus, & futurus Imperii ſucceſſor; ſed primo contemſit, ſecundo autem lata eſt vox ad eum. Mane igitur anxius praecepit ſuis, ut puerum raperent, & cor eius ei deferrent. Illi miſerti puero, cor leporis Regi deferunt. Eodem tempore Comes Henricus per ſilvam venatus, hunc puerum, in arbore relictum, accurrit, ut vagientem audivit; quem uxori ſuae ſterili occulte detulit, & pro ſuo nutrivit, fingens ſuum, & nomen ſuum imponens ei; quem Imperator prius poſtulans, in ſua curia eum retinuit, Sed quum omnibus videretur gratioſus, & dignus reputaretur, miſit eum ad uxorem ſuam, cum litteris, ſcribens, ut mox eum occidi faceret. Sed dormiens in domo cuiuſdam Sacerdotis, ille litteras clam aperuit; & compatiens iuveni, abraſit de morte, & poſuit: *mox illi, ſicut eſt tibi cara vita, filiam noſtram in uxorem ei dabis ſolemniter*; & ita factum eſt Deo diſponente. Et Imperator poſt totam ſeriem ſciens, voluntati divinae ulterius non repugnavit, & ſic ei poſtea in imperium ſucceſſit.

HEnricus tertius, annis duodecim. Hic gener Conradi; qui etiam filius dicitur. Cuius tempore Romae corpus Pallan-

lantis gigantis inventum eſt: cuius corpus vulneris hiatum habebat, quatuor pedum; corpus vero altitudinem muri civitatis vincebat, & ad caput eius erat inventa lucerna, quae nec flatu nec liquore extingui poterat, ſed ſine flatu foramine facto cum ſtilo, extincta. Et hoc eius Epitaphium;

(1) *Filius Evandri Pallas, quem lancea Turni*

Militis occidit, more ſuo iacet hic.

Huius etiam tempore in Apulia erat quaedam marmorea ſtatua, in qua erat ſcriptum: *Primo Kalendas Maii, oriente ſole, habebo caput aureum;* quod intelligens quidam Saracenus captivus fodit ubi ſol fecit umbram, in Kalendis Maii, & invenit quidem infinitum theſaurum, quem dedit Roberto Regi pro ſua redemtione. Floruit & Lanfrancus (2). Hoc etiam tempore floruit Berengarius, qui primo circa Corpus Chriſti erravit; poſtmodum vera fidei confeſſione retractavit, & ſuum finem praedicens, feliciter migravit ad Deum; cuius confeſſio ponitur, *De Conſecratione, Diſt. ſecunda, Ego Berengarius* (3).

(1) Epitaphium ſatis indicat impoſturam.

(2) *Lanfrancus* Papienſis Archiepiſcopus, qui Berengarium impugnavit. Ceterum de Berengarii cauſa & erroribus vide late diſputantem *Natalem Alexan-*

xandrum Tom. VI. Hiſtor. Eccleſiaſt. Differt. I. *in XI. & XII. Saecul.* & ſi impugnantem errores deſideras, conſule eumdem *Differt. XII.* Conſule etiam *Mabillonium* in *Praefationibus ad Annales Benedictinos*.

Henrici huius III. Regis, & Imperatoris II. diploma hic edimus, quod Monaſterio Sancti Salvii conceſſum fuit, & quod Vir doctiſſimus diligentiſſimuſque *Fulgentius Nardius* SS. Trinitatis Florentiae Vallumbroſani Ordinis Abbas Reverendiſſimus & antiquitatum adprime conſultus adnotavit Tom. III. ſuarum MS. collectionum, *Pag.* 278. atque ita habet.

In nomine ſanctae, & individuae Trinitatis. Henricus divina favente clementia Romanorum Imperator Auguſtus.

Notum ſit omnibus Sanctae Dei Eccleſiae, noſtriſque fidelibus, tam futuris, quam praeſentibus qualiter pro remedio animae noſtrae, & ob interventum coniugis noſtrae Imperatricis Agnetis, & propter incrementum filii noſtri Henrici Regis, Abbatia Sancti Salvii ſita in Paratinula cum Capella Sancti Nicolai, cui praeeſt venerabilis vir Berizo, cum omnibus bonis ſuis iuſte conquiſitis, & iuſte conquirendis, tam cum mobilibus quam cum immobilibus ubicumque conſtitutis in noſtri Mundiburdii defenſionem ſuſcepimus, ea videlicet ratione, ut nullus Archiepiſcopus, Epiſcopus, Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, ſeu aliqua magna, vel parva noſtri Regni perſona eos moleſtare, aut aliquo modo inquietare praeſumat. Quicumque vero hoc violare praeſumpſerit duo millia nancuſos auri optimi componat, medietatem Camerae noſtrae, & medietatem praedictae Abbatiae Sancti Salvi. Quod ut verius credatur ab omnibus diligentius cu-

cuſtodiatur, hanc cartam inſigniri iuſſimus noſtri Sigilli impreſſione.

Cuntherius Cancellarius vice Herimanni Archicancellarii recognovit.

Data XVII. Kal. Iulii Anno Dominicae Incarnationis MLV. Indictione VIII. anno autem Domini Henrici tertii Regis, Imperatoris autem ſecundi, ordinationis eius XXVI. Regni quidem XVII. Imperii vero VIIII. Actum Omiclo in Dei nomine feliciter Amen.

Quam multa Imperatores, ac Reges, aliique Principes, Eccleſiis pia largitione contulerint, & veracis hiſtoriae monumenta manifeſtant, & Inſtrumenta illa ac Diplomata, quae vel producimus, vel indicamus, luculenter oſtendunt. Sed non urbes tantum, & oppida, & latifundia, munificenter elargiti ſunt; verum etiam privilegiis eas auxerunt, & indulſere immunitates, & ſua protectione ac patrocinio tutati ſunt. At cur, quis dicat, eadem bona toties vel donant, vel confirmant, quum bona ſemel Eccleſiae donata, repeti haud unquam poſſint? cur privilegia eadem iterum toties iisdem Eccleſiis conceduntur, quoties adparet ex monumentis quae edimus, & aliis, quae recenſemus? Porro ſi quid coniicere licet, id uſuvenit, quia temporibus illis rudibus, ac plane barbaris, quum minus ſaepe Canonicis ſanctionibus deferretur, bona Eccleſiis ſemel a maioribus oblata, poſteri forte contra fas repetebant; adeoque huiuſmodi iniquitati per ipſorum ſucceſſorum confirmationes facile obcurrebatur. Heinc in inſtrumento donationis Monaſterio S. Salvatoris Fontanae Taonis a Bonifacio Marchione factae, ad *Chronicon Pontificum pag. 166.* edito, huiuſmodi iniurias antevertendo adponitur: *Et ab hodierna die numquam liceat mihi ſupraſcripto donatori, benefactori, neque*

 meis

meis filiis, & heredibus, ullo unquam in tempore, facere quaeſtionem, repetitionem, aut cauſationem, vel interpellationem, ullamque moleſtiam generare, &c. Et eadem cautio in omnibus fere aliis donationum inſtrumentis adpoſita reperitur, & praecipue in Diplomatibus Mathildae, quae ad laudatum *Chronicon* exhibuimus. Item cautio haec occurrit in antiquo inſtrumento donationis a Comite Guidone factae & confirmatae, quod ita habet:

In Nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti Anno ab Incarnationis eius nonageſimo quarto poſt mille, menſe Novembris Indictionis quartae.

Manifeſtus ſum ego VViddo Comes, filius VVidonis qui fuit Comes, quod per hanc cartulam offerſionis, & noſtram convenientiam do, & trado, & offero proprietario iure pro timore Dei, & remedio animae meae, & Ermellinae Comitiſſae quondam uxoris meae, Eccleſiae, & Monaſterio Sancti Fidelis conſtituto in loco Strumi, ubi nunc videtur praeeſſe Andreas Abbas, ideſt tota, & integra res illa iuris noſtri, quae eſt poſita in Comitatu Arretino infra Plebe Sanctae Mariae ſita Buiano in Caſale Strumi, & eſt per deſignata loca: de una parte decurrit ei via publica, & ex duabus partibus iam dicti Monaſterii Sancti Fidelis, ex quarto latere decurrit ei ripa quae olim fuit de . . . . . . & eſt circundata clauſura: ideo praedicta terra, & res una, cum omnia ſuper ſe, & infra ſe habentes, do, & offero, & trado dictae Eccleſiae S. Fidelis, quatenus a praeſenti die ſit in proprietate praedictae Eccleſiae ad habendum, tenendum, laborandum, & fruendum, & faciendum exinde ordinarii, quod modo ſunt, vel in antea erunt proprietario iure ad ius praefatae Eccleſiae ſecundum legem quidquid facere voluerint ſine omni mea, vel haere-

dum

dum meorum contradictione , & per noſtram pleniſſimam largitatem ; & quod a vobis exinde factum fuerit firmum , & ſtabile permaneat ſemper . Et quod fieri non credo ſic , ſi forſitan ego VVido , vel mei haeredes , aut ſubmiſſa perſona , quam nos miſerimus , vel cum quolibet noſtro facto veniat per aliquod ingenium quod in aliquid praeſumpſerit de iam dicta donatione mea , eidem Eccleſiae , vel cui ab ordinarii eidem , ut dictum eſt data , vel tradita fuerit in aliquid tollere , contendere , intentionare , vel moleſtare , vel ſi de omne perſona hominum non defenſaverimus aut defendere non potuerimus , tunc in duplo tanta , & talis res , qualis tunc ipſa fuerit , aut valuerit ſub extimatione de noſtris propriis rebus reſtituere , & perſolvere debeamus , & componamus , unde hanc cartulam ſicut ſupra legitur ad complendum tradidi , & ſcribere rogavi .

Actum eſt hoc in loco Sancto Bavillo Iudicaria Florentina , ac Feſulana , &c.

Signum manus iam dicti VVidonis Comitis , qui hanc Cartulam ſicut ſupra legitur ſcribere rogavit .

Signum manuum Gerardi qui Caput in ſacco vocatur ; & Gerardi filius b. m. Vgonis , & Drudoli filius quondam Boſi , & Vgonis filius Toni , rogati teſtes , & manus eorum ſcribere rogaverunt .

Ego Ioannes Notarius ſacri Palatii ſcripſi hanc Cartulam ; & poſt traditam completionem impoſui .

Exemplum autem huiuſmodi iniuriarum memorabile eſt in inſtrumento rei iudicatae coram Mathilda ad Lucam , in quo dicitur Wido quidam Comes bona alias Eccleſiae Lucenſi loco pignoris conceſſa perſequi iterum auſus , qui tamen , ut contumax , condemnatur . Inſtrumentum hoc indicavi in *Synopſi* ad annum 1099. illudque integrum *Florentinius* , & *Vghel-*

lius producunt: ſed mihi ſat fuerit ſequentia verba tantum exſcribere: *Ibique eorum veniens praeſentiis Rogerius Epiſcopus de Eccleſ. & Epiſcopatui S. Martini de Civitate Lucenſe, una cum Lamberto avocato ſuo caeperunt dicere adverſus iam dicta Domina Mathilda: Iam plures vices reclamavimus ad vos iam dicta Domina de VVido Comes fil. b. m. item VVidi Comes de tertiam portionem de Curte & Caſtello &c. quas haec praed. VVidus Comes condendit nobis, & ſimul condendit nobis pars praedictae Eccleſiae Epiſcopatui noſtro S. Martini, &c. quas praedictus VVido Comes per cartula in loco pignoris fecit ad praed. Eccleſia Epiſcopatui S. Martini, unde vos per plures vices de veſtra praeſentia Miſſos veſtros ad eum miſiſtis, ut ad veſtrum placitum veniſſet.* Exempla vero confirmationum a donatoris poſteris, vel ſucceſſoribus factarum cum paſſim diplomata & monumenta, quae exhibemus, ſuppeditant, tum noſtra *Synopſis* ad annos 816. 845. 851. 854. 860. 896. & paſſim. Confirmabantur item donationes, quas Eccleſiis Coenobiiſque principes minores, & privatae perſonae, faciebant, ab Imperatoribus, ut exſtat ex Diplomatibus a nobis adlatis, & praecipue donationum Hugonis Huberti F. Marchionis, & Bonifacii, ac Mathildae, ut videre eſt in *Synopſi* ad annos 997. 1002. 1026. 1118. & in diplomatibus Conradi, & Henrici ad *Chron. Pontif. p.* 168. 193. productis, & aliis inferius producendis: vel quia Principes illi donantes vere feudatarii erant Imperatorum, & Imperatores dominium quoddam ſupremum in Etruria habere conſueverant; vel quia Eccleſiae exiſtimabant, ſi iis contractibus Imperatoria etiam auctoritas acceſſiſſet, eos ſtabiliores fore, & ob tanti Principis reverentiam neminem quidquam in eos attentaturum. Inſuper obſervandum

dum eſt ſolitos fuiſſe Imperatores in Etruria Vicarios ſuos, & Capitaneos, & Miſſos, Nuntioſvè habere, ut ex *Synopſi* evidenter elucet, alioſque Principes viros atque potentes ibidem exſtitiſſe, quorum quidam interdum violenti erant, atque alienorum bonorum raptores, ut exempla praebent *Ecelinus a Romano*, qui copiis ab Imperatore Friderico II. acceptis, Italiam totam Tranſpadanam infeſtam habuit, & adflixit, *Villanio Lib. VI. Cap. LXXIV.* & *B. Platina* in *Gregorio IX.* auctoribus: & Comites Guidi, qui violentia, & tyrannide, Mutilianam & univerſam Flaminiam oppreſſère, ut laudatus *Villan. Lib.* v. *Cap.* xxxvii. memoriae prodidit: & inſigne eſt exemplum Gundibrandi Florentiae Ducis, de quo in *Synopſi* ad an. 787. & conſulatur inſtrumentum inferius *p.* 155. Sed paucis notum iniuriarum cuidam Monaſterio illatarum exemplum heic adferre etiam lubet, atque ipſum quo narratur inſtrumentum, exhibere, quod ita habet:

Hae ſunt iniuriae a filiis Rodulphi nobis illatae, modo ad memoriam reducimus. In primis quia Eccleſiam de Monte Groſſolo, quam nobis dederunt, nobis violenter abſtulerunt, turpiter & irreverenter clericum quem ibi poſueramus, de Eccleſia & toto caſtro eiicientes, & cauſa eiectionis illius clerici cum presbyter R. Frater de Cultubono eum de tanto exceſſu reprehenderet, ipſum R. deprehendit per capillos, & caput muro illiſit. Item quicquid clerico noſtro de Monte Groſſolo abſtulit, nec nobis nec ſibi reſtituit. Item fratrem noſtrum Vgonem cum Zaccone vulneravit. Item Pet. de Monte barbam depilavit, & Teuzum converſum pugnis & calcibus graviter percuſſit. Item Ioannem Marcon. ligari fecit, & ſcutiferi eius per milliarium ipſum ligatum ducentes, caput eius cum capulis ſpatarum graviſſime vulneraverunt, & quidam ſuus villanus po-

 ſtea

ſtea eumdem Ioannem cum enſe vulneravit. Item Mariſcalcum noſtrum in ſtabulo ligavit, & inter pedes equorum ipſum ligatum proiecit. Item Gallum cum Zaccone in capite & auricula percuſſit, ita quod ſanguis emanavit. Item Ciutolum miniſterialem noſtrum de domo noſtra expulit, ita quod ipſum numquam rehabere potuimus. Item quod noſtri molendini ſuis maleficiis per annum non macinaverunt. Item quidam ſuus homo quamdam petiam vineae nobis violenter abſtulit. Item fabris noſtris III. *Lib.* & XII. *ſol. quos ſibi mutuaverunt, non exſolvit. Item totum frumentum quod fuit de cultu Salomonis, nobis abſtulit. Item cum expeteret quod nos refutaremus id quod Senis adepti fueramus, & quod converſos noſtros ſua mandata curare cogeremus, quod nos audientes facere nollemus, minis & terroribus nobis iniectis ab Abbatia aufugimus. Item Baldonem & Caruddinum exſpoliavit, & corrigiis verberavit, & nudos & exſcalceatos ad Abbatiam remiſit. Item in quadam curte noſtra immoderate gallinas cecidit, & canibus ſuis ſolum caſeum & ova ad edendum dedit. Haec ſunt Spinelli. Poſſeſſiones, quas nobis dedit Rainerius Guidi, illi de domo Vgonis Alberti communiter nobis abſtulerunt; & filii Malapreſe nobis abſtulerunt poſſeſſiones, quas nobis dedit Rolandinus. Et ibidem filii Malapreſe nobis abſtulerunt tenimentum Vgonis Bracolis, & filii Vgonis Alberti nobis abſtulerunt poſſeſſiones, de quibus exiebant* VIII. *denarii. Item tanta ligna valentia* L. *libras nobis abſtulerunt. Item de caſa nova abſtulerunt nobis unam vegetem, unam arcam, & totum vinum, quod ibi erat. Item infra vineas & cultus noſtros & olera & fructus immoderate, nobis contradicentibus, devaſtant.*

Id quod forte in cauſſa fuit, cur Florentina

Reſp.

Reſp. Cultusboni Monaſterium (nam de eo ibi agitur) ſub ſua tutela, & protectione, reciperet, ut ſequens Inſtrumentum ex Archivo praedicti Coenobii, non ſecus atque illud, erutum declarat.

In Dei nomine Amen. Cunctis hanc paginam inſpecturis clareat evidenter, quod Ugo Albizi bannitor Communitatis Florentiae, tempore Domini Guidonis de Seſto Florentini Poteſtatis, ex praeſente ipſius Poteſtatis, in platea, quae eſt ante domum filiorum Tornaquinci, publicavit, & bannivit, & bannum miſit dicendo, & praeconizando hoc modo, quod nullus homo vel perſona in Civitate Florentina, vel Comitat. quolibet, offendere praeſumat in perſonis, vel rebus, monaſterium vel domum, bona vel rei, Monaſt. de Coltibuoni, ex eo quod dictum Monaſt. eſt ſub comandiſcia Communitatis Florentinae; dicens etiam, quod ſi quis contra fecerit, Poteſtas puniret eum ad ſuum arbitrium. Miſſum eſt hoc bannum in civitate Florentia in dicta platea, praeſente & audiente me Deotiſalvi Not. ſeptem praeſentibus & rogatis teſtibus Arnolfino Bilenchi, Rainerio Morelli, & Amato Compagni, & Ruſtichello Mannelli, & aliis. Milleſimo ducenteſimo trigeſimo nono, in quintadecima Kalen. Octob. Indictione XII. *Ego Deotiſalvi Iudex, atque Not. haec omnia coram me acta publice ſcripſi.*

Et de moleſtiis, alienationibus, & uſurpationibus, quibus tunc temporis bona Eccleſiarum obnoxia erant, fidem facere etiam monumentum ex memorato Archivo deſumtum fortaſſis poteſt, quod ita habet:

In Dei nomine Amen. Quoniam frequens Laicorum improbitas nititur impudent. bona & poſſeſſiones & reditus Eccleſiarum, uſurariis, & aliis illicitis contractibus occupare in Eccleſiarum periculum & prae-

iudicium Eccleſiaſticae libertatis. Statutum & firmatum eſt, quod nullus Laicus per ſe, vel per alium recipiat, vel recipere praeſumat aliquam conceſſionem vel obligationem bonorum alicuius Eccleſiae civitatis vel diſtrict. Florentini abſque licentia SS. Pat. noſtri Summi Pontificis, Rectori Eccleſiae, volenti huiuſmodi conceſſionem, vel obligationem facere per litteras Apoſtolicas facientes plenam, & expreſſam de contractu faciendo, & de forma ipſius, & de nominibus contrahentium mentionem. Siquis vero contra fecerit in lib. C. *Flor. par. pro vice qualibet, puniatur, & contractus, qui contra praedicta fieret penitus irritetur & haec extendantur ad futuram aetatem. Sub annis Domini* MCCLVIII. *Indictione ſecunda Kalen. Ian. in antea. Ego Bellond. praedictum Capitulum, prout in conteſto Communitatis inveni, ita hic exemplavi.*

His igitur de cauſis Eccleſiae confirmationes, & patrocinium ac tutelam Imperatorum, aliorumque Principum quaerebant; ut res ſuas, ſacraſque aedes, coenobia, iura, omnia ſalva, & incolumia poſſiderent. Adde, quod per ea tempora moris erat, ut Imperator quilibet Romam, ubi Imperatoriis inſignibus decoraretur, contenderet, qui copias, & ingentem comitatum ſecum ducebant. Itaque unaquaeque Eccleſia a militari licentia, bellique incommodis, ac damnis, ſibi metuebat. Eapropter ut ſibi illae caverent, & praeveniendo damna, & incommoda, eiuſmodi averterent, ab Imperatore patrocinium tutelamque implorabant; & ut efficacius praeſentiuſque adeſſet, a quolibet Imperatore eiuſmodi protectionis Diplomata obtinere ſatagebant; eaque Diplomata, quibus diverſi Imperatores eadem iura, & bona Eccleſiis confirmarent. Inſigne autem exemplum eiuſmodi militaris licentiae ſufficit

ſicit Diploma Conradi Tuſciae Marchionis, quod inferius ad Conradum III. Imperatorem (nam is eſt qui antea Etruriae Marchio fuerat) proferimus. Adde quod Etruriae quaedam Civitates in quamdam libertatis ſpeciem ſeſe adſerentes arbitrio ſuo regebantur, & ſaepe finitimis bellum inferebant, quod quidem Etruriae Marchiones facile patiebantur, ut in *Synopſi* ex *Florentinio* tempeſtive animadvertimus, adeoque excurſionibus alienos agros, & territoria infeſtabant, invadebant oppida, villas, & praedia evertebant, ut quidem Florentini fecerunt Caſtris ſui agri fere univerſis, quae propriis Dominis parebant, captis, & ſubiugatis, prout tradit *Villanius Lib.* V. *Cap.* XII. Quare non mirum ſi ab huiuſmodi inruptionibus Eccleſiae ſibi metuentes, imminentibus iniuriis Imperatoriam protectionem opponere conarentur. Animadvertendum quoque privilegia deſuetudine facile, & lapſu temporis abrogari; atque id ne eveniret eorumdem confirmationem implorabant, qua veluti reviviſcerent, & renovata roborarentur, atque ita omnem temporis praeſcriptionem excluderent. Nec mirum quoque videri debet ſi in his antiquis Imperatorum, & Regum, & Principum aliorum Diplomatis multa occurrunt, quae Eccleſiaſticam immunitatem, & libertatem laedere videantur; id enim corruptelae, & barbariae turbulentiſſimorum temporum tribuendum eſt, quibus & ipſi Pontifices Romani, & ſacra ipſa Concilia abuſus huiuſmodi tolerare, & diſſimulare cogebantur, quod Vir pereruditus *Didacus Franchius Lib.* I. *Hiſt. S. Ioannis Gualberti* prudenter obſervabat. *Ceſare*, inquit, *all' incontro avviſato dell' inclinazione degli Italiani verſo la religione (il cui capo era Roma) per tenergli dependenti, eccesſivamente aggrandiva i Veſcovi, e gli altri Prelati*

lati d' Italia , con poſſeſſi , giurisdizioni , e onori . Di maniera , che appoco appoco allargò anco la mano a conferire alle più riſpettate famiglie le vacanze Ecleſiaſtiche , o perchè già era paſſata in pubblica pretenſione degli Imperatori la toleranza de' Pontefici , &c. Sed & ex quibusdam praeiudiciis id oriri etiam poterat , quum Imperatores , & Reges , id iure ſibi competere falſo praeſumerent ; utpote qui ſe ipſos veluti Eccleſiaſticae iurisdictionis , & cuiuſque Clericorum immunitatis , originem perperam conſiderarent ; ut ex *Codice Theodoſiano* , *Codice Iuſtinianeo* , *&* *Novellis Conſtitutionibus* , Caroli Magni *Capitularibus* , aliorumque Principum placitis ; facile intelligere eſt ; quod enucleatius expoſitum , & enarratum , videre eſt apud *Baronium* ; *Nat. Alexandrum* , *Petrum de Marca* , *Paulum Servitam* , *Zeg. Bernard. Vaneſpenium*, alioſque rerum huiuſmodi tractatores illuſtriſſimos. Niſi forte haec omnia Imperatores , Regeſque faciebant ; quod ſe Canonicarum ſanctionum , & Eccleſiaſticorum bonorum cuſtodes , defenſores , atque exſequutores , recte exiſtimarent , ut vere ſunt a Deo conſtituti , prout loquitur Canon VI. Concilii Moguntini I. celebrati anno DCCCLVII. At quidquid ſit ; certe in hoc abuſum inrepſiſſe non eſt dubitandum. Hinc paſſim in Diplomatibus multa Archiepiſcopis , & Epiſcopis , vel iniunguntur , vel prohibentur , quod tamen ante huius Henrici tempora , niſi me fallit memoria , contigiſſe non video ; vel cauſae ac lites Eccleſiaſticorum finiuntur ac dirimuntur , ut habetur *Synopſi* ad annos 853. 877. 941. 979. 1058. 1059. 1107. vel Eccleſiaſticorum bonorum permutationes conceduntur , cuius rei exempla ſuppeditant in *Synopſi* anni 870. 881. 935. vel iura eorum

im-

immunitateſque confirmantur; ut noſtra paſſim Diplomata praeferunt, & late in *Synopſi* enunciatur; vel denique ipſae Romanorum Pontificum conſtitutiones confirmari ab Imperatoribus, Regibuſque, dicuntur, ut eadem *Synopſi* ad annos 800. 1183. 1137. & ſexcenta alia id genus, quibus Eccleſiaſticam libertatem labefactari perſpicuum eſt. Quoniam vero litium Eccleſiaſticarum definitionis a Principibus crebro factae meminimus, iuvat hic Inſtrumentum quoddam, ex Vallumbroſanorum Archivis erutum exhibere, in quo cuiusdam Eccleſiaſticae controverſiae iudex Gottefridus Dux enunciatur, atque ita habet.

In nomine Sancte, & individue Trinitatis anno ab Incarnatione Domini noſtri Ieſu Chriſti ſeptuageſimo ſecundo poſt mille, indictione quarta feliciter. Breve recordationis ad memoriam habendam vel retinendam qualiter factum eſt in loco Monte Scalario non longe a Monaſterio Beatiſſimi Caſſiani Martiris Iudicaria Florentina in praeſentia bonorum hominum, ſcilicet Suavici, & Gerardi Filii Vgonis de Coldaria, & VViddonis de Cona, & Sichelmi filii VViddonis, & Vgonis filii Vbaldi, & Vgonis filii Ioannis filii Gotefridi, & Alberti filii Rodulphi, & VVidi, & Albertini cum multis aliis bonis, & perfectis hominibus, in eorum praedictorum preſentia. Rainerius filius Benci, & Federicus filius Ioannis, & Bernardus filius Federici de Cintoria, ii omnes pro remedio anime eorum, nec non, & filiorum ſuorum, omniumque ſuorum parentum, quatenus Eccleſia Beatiſſimi Caſſiani martiris quiete, & tranquille poſſidere potuiſſet, quod ei pro ſalute animarum ſuarum dederant, parati fuere iurare pro terra, & lite de Cuniale. Vnde homines de Colle ſupraſcripto Monaſterio litigium

gium facere inrationabile videbatur, quod ipſi Centorienſes praedictam illam terram de Cuniale ſcilicet per ſexaginta annos quiete tenuerant ac poſſederant ſine legali interruptione, omnique hominum iuſta moleſtatione; & ſic legaliter Monaſterio de Monte Scalario tradita ab illis fuerat, ut tunc nulla ratione pertineret hominibus de Celle; nec aliquam inde illis moleſtiam, vel infeſtationem ſuprascripto Monaſterio Beatiſſimi Martiris Caſſiani, eiuſque Rectoribus, vel fidelibus inferre rationabiliter deberent. Hoc autem iuſiurandum non ſolum tunc pro remedio animarum ſuarum ac parentum ſuorum facere unanimiter, ſed etiam tempore, quo Dux Gothefredus placitum tenebat in Florentina Civitate, ipſum iuſiurandum coram ipſo Duce proferre viva voce parati fuerunt; & ut homines Celle nullam moleſtiam deinde Sancti Caſſiani Fidelibus ulla ratione ex hac cauſa aliquo in tempore inferre poſſent, eos ad placitum ſupradicti Ducis Gothefredi vocavere. Et ut hoc tante auctoritatis negotium poſteris hominibus nullatenus diſcordaret; ſtatuere, & decrevere ipſi Cintorienſes, ordinaveruntque, ut haec tanta auctoritas ſcriptis denotaret, quam ſuprascriptos homines Cellenſes nec eorum ſeniores ad placitum nulla ratione habere potuerunt.

Ego Oddo Not. ſcripto huic tante auctoritati ut nullatenus poſteris de memoria aboleretur completionem libentiſſime impoſui.

Sed ut cetera exempla miſſa faciam, illud certe famigeratum eſt, quod controverſae olim inter Imperatores, & Pontifices, Epiſcopatuum, & Abbatiarum, inveſtiturae ſuppeditant. Quod quidem ut melius intelligatur,

. . . . altius omnem
Expediam, prima repetens ab origine famam.

Inve-

Inveſtitura eſt conſenſus ab Imperatore vel Regge adhibitus electioni factae alicuius ad Epiſcopatum vel Abbatiam, & conceſſio bonorum Eccleſiaſticorum ſolemni quodam ritu facta. Inveſtiturarum origo fuit munificentia Principum erga Eccleſias, quibus non ſolum praedia & latifundia, ſed regalia, ſive feuda ſibi obnoxia conceſſere. Vnde factum eſt, ut bona huiuſcemodi conditionem feudorum ſequerentur, nec eorum poſſeſſionem adire poſſent electi Epiſcopi, niſi Princeps eorum electionem gratam haberet, ac ſecundum hominium, & iuramentum fidelitatis ab iis praeſtitum, iis huiuſcemodi bona fruenda concederet aliquo ſigno externo, ſolemnique ritu; puta per virgam paſtoralem & annulum, aut per ſceptrum, ſeu aliud quodvis inſtrumentum. Deinde cetera omnia bona eccleſiaſtica huiuſmodi naturae exiſtimata fuerunt, ut docet *Nat. Alexand. Diſſertat. IV.* in *Saecul.* XI. *&* XII. *Tom.* VI. *Hiſt. Eccleſ.* Inveſtiturarum uſus diu toleratus fuit ab Eccleſia, & nullum dubium eſt; quin in Germania penes tres Othones, & S. Henricum, hic uſus fuerit, ut late multorum hiſtoricorum auctoritate demonſtrant laudatus *Nat. Alexander* loco citato, & *Lud. Thomaſſinus Tom.* II. *De vet. & nov. Eccleſ. Diſcipl. Lib.* II. *Cap.* XXXVIII. Et quoad S. Henricum id evidentiſſime probat adlatum ab *Vghellio*, & *Soldanio* diploma, in quo inſuper enunciatur, id ante etiam Henrici II. tempora in uſu fuiſſe, illis verbis: *Quamdam Abbatiam ad honorem S. Benedicti ſuper res noſtri iuris conſtructam in Alpe, quae dicitur Biſurco, tantum & Regibus vel Imperatoribus ſolitam inveſtiri conſtituimus, &c.* Id quoque uſque a Clodovei tempore in Gallia, & ab uſque Edgari Regis aetate in Anglia obtinuiſſe memoratus *Natal. Alexander* loco laudato perſpicue oſten-

ſtendit, primumque omnium Gregorium VII. hunc abuſum improbaſſe. Non mirum autem inveſtituras olim ab Eccleſia toleratas fuiſſe, quum intra eos limites conſiſterent, ut Princeps electiones innovare, & confirmare, diceretur, non tamquam novae gratiae collator, ſed tamquam cuſtos, & defenſor libertatis Eccleſiae, ut praeclariter docet *Thomaſſinius* *Lib.* laudato *Cap.* XXXII. Vel tolerabantur, quia inveſtiturae fiebant tantum propter poſſeſſiones Eccleſiaſticas, non propter res ſpirituales, quamvis inutile ſit iterum donare bona, quae ſemel data ſunt, quae doctrina eſt *Goffridi Vindocinenſis Abbatis Epiſtol.* VII. *Lib.* I. & *Opuſc.* II. *de Ordinat. Epiſcop. &c.* & *Opuſcul. De Simonia &c.* Heinc eſt quod poſt tot controverſias inter Pontifices & Imperatores ac Reges ſuper inveſtituris agitatas, quum res a Calliſto II. & Henrico V. in Concilio Lateranenſi anno MCXXII. compoſitae eſſent, licet Henricus liberas electiones reliquiſſet, & inveſtituras per anulum & baculum condemnaſſet, tamen Calliſtus ei concedit, ut electiones Epiſcoporum & Abbatum in eius praeſentia fierent, & electus Regalia per Sceptrum ab Imperatore reciperet, ſive regni Teutonici eſſet, ſive ex aliis Imperii partibus, ut apud *Natal. Alexand.* laudata *Diſſ. Art.* XVIII. videre eſt, & apud *Thomaſſinium Cap.* XXXVIII. *n.* IV. quod temperamentum etiam Gallorum Reges amplexi ſunt. Igitur tunc inveſtituras amplius Eccleſia tolerare noluit, quum Electionis, quae praecedere debuerat, & pietatis in praeficiendis Epiſcopis haud habita eſt ratio, ſed pecuniae; quumque Principes inveſtituris abuti coeperunt. *Thomaſſinius Capit.* XXXIV. & *Capit.* XXXVIII. *n.* IX. *Natal. Alexand.* laudata *Diſſertat.* IV. *Art.* II. Tunc enim Sacris Canonibus repugna-

gnabant, & omnino improbandae erant, adeoque Doctores multi, ut *Bruno* Segninus Epiſcopus, *Guido* Archiepiſcopus Viennenſis, *Goffridus* Vindocinenſis, *Ioannes* Lugdunenſis Archiepiſcopus, inveſtituras tamquam haereſim damnarunt, & exſecrati ſunt; quamquam *Ivo* Carnotenſis, Iuris Eccleſiaſtici conſultiſſimus, ſententiam inveſtituras defendentem ſchiſmaticam quidem eſſe, non tamen haereticam cenſuit; quam opinionem alii Gallicani Epiſcopi propugnarunt, ut apud memoratos *Alexandrum* & *Thomaſſinium* videre eſt, ſicuti a quot Pontificibus, & a quot Conciliis inveſtiturae damnatae fuerint. Quum autem ex *Goffridi* Vindocinenſis doctrina viderimus, inveſtituras, quae non propter res ſpirituales, ſed Eccleſiaſticas tantum, darentur, tolerari forte potuiſſe, huiuſmodi inveſtiturarum exempla heic quaedam ex antiquis inſtrumentis proferre lubet. Sequens autem inſtrumentum ex archivo Coenobii Vallisumbroſae erutum eſt, atque ita habet;

In Chriſti Nomine. Breve recordationis qualiter factum eſt in loco Vallisumbroſae in praeſentia Bernardi de Benevento, & Vbaldi filius Azzi, & Ardimanni filius . . . . . Rachi, & Berardi filius Berardi, & reliqui, plures ibique in eorum praeſentia Guido Comes, quia pro Dei timore, & remedio animae ſuae & de parentum ſuorum per hanc paginam quam ſua detinebat manu ſic inveſtivit, & dedit, & in obſertionem attulit ad altare Beatiſſimae Sanctae Mariae ſito Vallisimbroſae idem terras, & res, quas Guido Comes, & Tegrinus filius ſuus dederunt ad ipſam Eccleſiam, & bandum miſit, ſi unquam in tempore Vicecomes, vel Caſtaldius, vel Mandatarius de rebus de ipſa Eccleſia, & Monaſterio, vel de hominibus de ipſo monaſterio offenſaverit, & damnum fecerit componat ſold.

ſold. centum, & emendet ipſum damnum ſecundum legem, & ſimiliter conceſſit paſturas de Alpe Paſcianeſis, & de Romana, quae ſibi pertinent. Factum eſt hoc Anno ab Incarnatione Domini noſtri Ieſu Chriſti nonageſimo nono poſt mille, menſ. Hoctuber indictione quinta.

Signa ✠ ✠ manuum Bernardi, & Vbaldi, & Ardrimanni, & Berardi, qui ibi fuerunt.

Ego Ioannes, qui ibi fui, & hoc Breve ſcripſi.

Aliud inſtrumentum ex eodem Archivo depromtum, eſt quod ſequitur:

Wido Comes filius bonae memoriae item Widonis Comitis pro Dei timore, & remedio animae ſuae, ſuorumque Parentum, per fuſtem, quem ſua detinebat manu inveſtivit Ruſticum monachum, & Rectorem Eccleſiae & Monaſterii beatiſſimae Sanctae Mariae ſitae in loco Vallumbroſa, atque in beneficia ei dedit ad partem ſpectante, & Eccleſiae, & Monaſterio nominative, terra & ſilva tota, quae eſt poſita in loco, qui vocatur Valleumbroſa prope iam dictam Eccleſiam, quae ita decernitur, de duabus partibus eſt finis terra de Eccleſia, & Monaſterio S. Hilarii, de tertia parte eſt finis terra praedicti Monaſterii S. Hilarii, inter medium via decurrit; de quarta parte decurrit ei rivus, qui vocatur Vicano: infra ipſa deſignata loca de praedicta terra & ſilva integras duas portiones. Sic ipſe VVido Comes de praedicta terra & ſilva iam dictum Ruſticum monachum ad partem ipſius Eccleſiae & Monaſterii inveſtivit, & in beneficio dedit, ut ipſe Ruſticus monachus & Rectores iam dicti Monaſterii ad partem ipſius Eccleſiae ad iam dictam terram & ſilvam habeant & teneant, & fruantur, & faciant ex

inde

inde more beneficii quidquid voluerint abſque ipſius VVidonis Comitis, eiusdem haeredibus, vel miniſterialium contradictione. Et ſi ipſe VVido Comes, vel eius haeredes ad praedictum Ruſticum monachum, vel ad Rectorem praedicti Monaſterii ad partem iam dicti Monaſterii praedictam terram & ſilvam tollere praeſumſerint, ut compoſituros, & daturos eſſe debeant ad partem praedicti Monaſterii poenam auri boni libras duas, & pro ipſa inveſtitione, datione, ſive obligatione fecit & dedit ipſe Ruſticus monachus ad praedictum VVidonem Comitem Launetchild, & meritum Croſnam unam.

Factum eſt hoc anno ab Incarnatione Domini noſtri Ieſu Chriſti octuageſimo primo poſt mille, tertio decimo Kalendas Ianuarii, Indictione V. VVinizo Iudex Regius interfui, &c.

Signa ✠ ✠ ✠ manuum ſupradictorum Gerardi & Azzi & Gerardi, qui ibi fuerunt.

Ego Ioannes Notarius, qui ibi fui, & hoc Breve ſubſcripſi.

Definitio tamen inveſtiturae, quam ſuperius attulimus, Epiſcopatuum, & Abbatiarum, atque id genus, Eccleſiaſticis inveſtituris tantum congruere forte videatur: ſed & aliae inveſtiturae non multo ſecus definiendae ſunt, quum nonniſi conſenſus quidam ſint, & facultas conceſſa adprehendendi propria auctoritate poſſeſſionem rei, quae in beneficium datur; vel ipſa poſſeſſionis translatio, ſi inveſtitura in re praeſenti fiat, ut docet auctor locupletiſſimus *And. Gaillus Lib. II. Pract. Obſervat. CLII. n. XIV.* Huiuſmodi vero inveſtiturae dabantur quibusdam ſignis & ritibus adhibitis, qui in antiquis inſtrumentis commemorantur. Ecce in Diplomate Ma-

 thil-

thildae, cuius in *Synopſi Chronologica* ad annum MLXXIX. mentionem fecimus, ita habetur: *Ego qui ſupra Mathilda Marchioniſſa ac Ducatrix ſecundum legem meam ſaligam cum atramentario, pinna, & pergamena, manibus meis de terra levavit, & Cunradi Notarii Domni Imperatoris ad ſcribendum tradidit per VVaſonem terrae, & fiſtucum nodatum ſeu ramo arborum, atque per cultellum, & VVantonettonem ſeu andilaginem, ſic per hanc cartulam iuxta legem meam ſaligam dono, trado, cedo, atque offero tibi, Deo, & Eccleſia, & Epiſcopatui S. Martini, quae eſt conſtructa & levata infra Civitatem Luca, prope muro eiuſdem civitatis, ideſt caſa, & curte, ſeu monte, &c.* Eadem formula habetur in Diplomate eiusdem Mathildae adlegato ad annum MLXXVIII. Alia inveſtitura fiebat per fuſtem tantum, ut colligitur ex inſtrumento ſententiae latae a Ludovico III. Imperatore, & Benedicto IV. Papa, ad annum DCCCC. citato, in quo legitur: *Valterius ex Imperiali iuſſione per fuſte, quam ſuis detinebat manibus, eumdem Petrum Epiſcopum, & Eleazar Avvocato ſuo de praedictis caſis ſalva querela a parte ipſius Eccleſiae inveſtivit, &c.* Idem ritus dicitur obſervatus in inſtrumento ad annum MXLVII. laudato, quum Bonifacius Marchio cauſam quamdam decidiſſet. Idem memoratur inſtrumento adlegato ad annum MLXVIII. Atque iſta quidem de inveſtituris. Quum vero ſuperius quaedam protulerim de iniuriis Monaſterio S. Laurentii de Cultubono illatis, & ob eas opinatus fuerim idem Monaſterium a Rep. Florentina ſub protectione receptum, cuius quidem protectionis edictum exhibuimus; non abs re fore cenſeo, heic aliud inſtrumentum ex Archivo dicti coenobii erutum proferre, quo decretum Communis Florentiae memo-

ra-

ratum Monaſterium in clientelam recipiendi continetur, atque ita habet:

In nomine Domini milleſimo ducenteſimo trigeſimo non. Indict. duodecima, die VIII. *exeunte Agõ. Coram Domino Ardicione de Medicis, Dominico, Sinibaldo, & Zentileſco Bannitoribus Communitatis Flor. Cum Dominus Guido de Seſſo Dei gratia Flor. Poteſtas, in generali Conſilio Commun. Florent. congregato more ſolito per campanam in Eccleſia Sanctae Trinitae, in quo conſilio fuerunt LXXXX. voce praeconia vocati, proponeret, & diceret, ſi homines ad dictum Conſilium exiſtentes volebant, & eis placebat, quod ipſe nomine & vice Communis Florentiae, & pro Communi reciperet Dom. Abbatem de Cultubono, & res, & bona & perſonas, & iura ipſius Monaſterii & Abbatis in ſua & Comm. Florentiae protectione cuſtodia atque cura, placuit omnibus de dicto Conſilio, nemine contradicente, quod dictus Poteſtas nomine Communis & pro ipſo Commune deberet recipere, & habere ipſum Dominum Abbatem & res & bona & perſonas & iura ipſius Monaſterii & Abbatis in ſua & dicti Communis protectione cuſtodia atque cura. Vnde voluntate dicti Conſilii beneplacito, & conſenſu, idem Poteſtas manualiter apprehendens & adſumens dictum Dominum Abbatem pro ſe & Communi Florentiae, ipſum & Monaſterium dictum, & res & bona ipſius pariter & perſonas ſub ſua protectione & cuſtodia atque cura conſtituit & recepit, ſalvo omni iure patronatus vel dominii, vel cuiuslibet alterius rationis cuilibet de civitate Florentia & diſtrictu, quod haberet in dicto Monaſterio. Item quod praedicta receptio, vel aſſumptio nemini in iure ſuo generet praeiudicium vel gravamen.*

 Ego

Ego Spinellus Spad. Iudex ordinarius , & nunc Conſiliarius Communis Flor. omnibus ſupraſcriptis interfui , ideoque ſubſcripſi S. B.

Actum in Conſilio antedicto.

Ego Blaſius de Sancta Cruce Sacri Palatii Not. & Iacobus presb. ſimiliter , dicti Pot. Scriba iis interfui , audivi , & ſcripſi.

Sed quum tam multa de abuſu ac corruptela , quae barbaro aevo contra Eccleſiaſticam immunitatem inrepſerat , a me ſuperius diſputata ſint; ut , quid Catholicis hominibus de ea ſentiendum ſit , magis eluceat , lubet heic *Magiſtri Alani Quadrigarii* , cuius aliud quidpiam ſuperius protulimus , Epiſtolam quamdam ad Regem Chriſtianiſſimum , ex Codice alias memorato erutam , exhibere , quae ita ſe habet:

Chriſtianiſſime Rex , ac Excellentiſſime Princeps , Supreme Domine noſter.

„ LEge novi & veteris Teſtamenti , ſacrorumque „ iurium auctoritate compellimur , Patrum no„ ſtrorumque praedeceſſorum exemplis ſalutaribus „ provocamur , ut libertatis Eccleſiaſticae materiam , „ quae ex iniuncto nobis miniſterio , iuramento fir„ mato , ſana conſcientia , & abſque graviſſimarum „ cenſurarum poena , praetermittere non poſſumus , „ verbo , ſcriptis , & nuntiis , apud Veſtram Regiam „ maieſtatem proſequamur ; pro qua glorioſiſſimi „ martyrii Sanctorum plurimos legimus ſubiiſſe tri„ umphum , qui ſe murum firmiter pro domo Do„ mini opponentes , plus formidarunt aeternum , „ quam temporalem offendere Principatum . Sed „ eo maior obſecrandi nobis datur occaſio , quod

ex-

„ experientia manifeſtante cognovimus, Veſtram Cel-
„ ſitudinem maioribus quam nunc oppreſſam aeru-
„ mnis, neceſſitatibuſque depreſſam, nullatenus vo-
„ luiſſe, ut in libertate praedicta quidcumque attentare-
„ tur ſcandaloſum, veſtrorum Chriſtianorum Proge-
„ nitorum veſtigiis inhaerendo; qui pro quacumque
„ adventitia neceſſitate, etiam captivitatis regiae per-
„ ſonae, tributariam facere Eccleſiam miſericordiae
„ noluerunt, de quibus refert Gregorius in Regiſtro,
„ quod propter defenſionem libertatis Eccleſiaſticae
„ amplificatum eſt eis regnum, conceſſa divinitus
„ victoria triumphalis, & ab omni clade coelitus
„ praeſervatio repromiſſa. Confidimus igitur, Prin-
„ ceps Chriſtianiſſime, quod qui coepit in vobis,
„ & glorioſiſſimis Progenitoribus veſtris, opus bonum
„ Eccleſiaſticae protectionis, Deus omnipotens, in
„ cuius manus cor regis, illud perficiet, & ab hoc
„ ſancto non permittet propoſito declinare, nec a
„ Veſtra regali memoria excidere illam ſanctiſſimam
„ & honeſtiſſimam profeſſionem veſtro ſolemni in
„ regalis diadematis, & ſanctiſſimae unctionis, ſuſce-
„ ptione iuramento firmatam, per quam libertatem
„ Eccleſiaſticam, & Eccleſiaſticorum privilegia, pro-
„ miſiſtis perpetuis temporibus obſervare. Sanctam
„ eia & ſinceram devotionem veſtram ad Deum,
„ & ſanctam Eccleſiam, quae inter acerrimas,
„ quas regnum patitur moleſtias, ſingulare quoddam
„ nobis ſolatium miniſtrat, & iuvamen, ſinceris
„ cogimur mentibus exorare, & pauca de multitu-
„ dine auctoritatum Scripturae ſacrae, & iurium,
„ ad Veſtrae Clementiae memoriam reducere, & quaſi
„ ante oculos Maieſtatis Veſtrae non nos ipſos, ſed
„ antiquos Patres, inter quos Ieremias deplorat Ec-
„ cleſiam fieri ſub tributo, imo & ipſam Eccleſiam

 ad

„ ad veſtra, ut ita dicamus, genua provolutam in-
„ ſtituere deprecantem. Abundarent iura, & ſacra-
„ rum teſtimonia Scripturarum, adlegare volentibus;
„ ſed quia devotiſſimum & doctiſſimum adloquimur
„ Principem, pauca haec brevi tacta compendio ſuf-
„ ficient. In primis ergo ab aeterna & divina le-
„ ge, per quam reges regnant, & qua inviolabili
„ ſanctione Ecelefiae privilegia primitus ſunt con-
„ ceſſa ſumentes exordium, id duximus commemo-
„ randum, quod in Geneſi ſcribitur de Pharaone,
„ qui ſervituti ſubiectis omnibus, ſacerdotes, &
„ poſſeſſiones in libertate dimiſit, & eis de pu-
„ blico alimoniam miniſtravit, ex tunc, ut dicunt
„ Gloſae, Domino pronuntiante, Sacerdotes in omni
„ genere liberos eſſe debere; quod & Rex Cyrus
„ ſecutus, ut legitur in Heſdra, noluit Sacerdotes,
„ etiam pro Templi aedificatione, tributis onerari, ne
„ in regem, & in eius filios, divina ultio deſaeviret.
„ Non arbitrandum igitur ſub Veſtro deterioris condi-
„ tionis effici Sacerdotium Imperio, quam ſub illis re-
„ gibus, qui divinae legis notitiam non habent. Nam
„ ut anima corpori, & ſpiritualia terreſtribus, ſempi-
„ terna ſunt temporalibus praeferenda, qui & angeli
„ Domini exercituum dicuntur, & Dii quandoque nun-
„ cupantur. Lege quippe Moſaica, Divina imo po-
„ tius, cautum eſt, ut eorum portio ab oneribus libera
„ permaneret. Narrare libet, illam divinae offenſio-
„ nis evidentiam contra Heliodorum Templi & ſa-
„ cerdotum perturbatorem acerrimum, qui templo
„ Domini irruenti, ut in libris Machabaeorum legi-
„ tur, adparuiſſe de coelo fertur equus terribilem
„ habens ſeſſorem, & cum eo iuvenes duo ſpecio-
„ ſi amictu, qui plagis multis adflictum Heliodorum
„ & quaſi exterminio palpitantem, compulerunt regi
divi-

,, divina magnalia demonſtrare. Ac quum rex alium
,, mittere conaretur, dixiſſe fertur Heliodorus, ſi
,, quem ibi miſeris, flagellatum recipies. Nam qui
,, habitat in coelis viſitator eſt templi, & mini-
,, ſtrorum violatores percutit & perdit. Sed quid
,, in hac re Canonicae ſtatuant ſanctiones placeat at-
,, tendere. Non enim unus Pontifex ſummus, ſed
,, tota univerſalis Eccleſia, in celeberrimo Latera-
,, nenſi Concilio ſub anathematis poena talia exigi
,, ab Eccleſia inhibet tributa, & exactores, & factores
,, praemiſſa monitione decrevit excommunicationi eo
,, ipſo ſubiacere; a qua nonniſi plenaria reſtitutio-
,, ne praehabita non veniunt abſolvendi. Quod ſi
,, Eccleſiaſtici voluntarie quidquam duxerint confe-
,, rendum rationum, Pontificem ſtatuit conſulendum.
,, Sunt & aliqua iura ibidem ſententia, & ſacrile-
,, gorum poenis decernentia, tales perturbatores eſſe
,, puniendos. Quid autem in legibus Imperatorum
,, cautum ſit civilibus, breviter inſinuandum occur-
,, rit. *Omnis*, inquit Imperator Iuſtinianus, *a Cle-*
,, *ricis tributorum iniuria, & exactionis repellatur*
,, *improbitas; & quum negotiatores ob neceſſitatem*
,, *publicam ad exactionem vocantur, a clericis om-*
,, *nis talis ſtrepitus, omnis moleſtia penitus con-*
,, *quieſcat, tantaque praerogativa ſuccurrat, ut Sa-*
,, *cerdotum miniſtri immunes ab omnibus perſeverent.*
,, Vnde Conſtantinus & Valentinianus Imperatores
,, plurima libertatum privilegia condonantes dice-
,, bant: *Gaudere & gloriari ex fide volumus, ſcien-*
,, *tes magis religionibus quam tributis vel laboribus*
,, *noſtram rem publicam conſervari.* Apud Veſtram
,, Regiam Maieſtatem perſuaſione non eget, quid
,, Carolus Magnus, Carolus Calvus, Robertus, &
,, Sanctus Ludovicus, Veſtri Chriſtianiſſimi Progenito-

„ res, hac in re ſentierunt. Tantis igitur auctorita-
„ tibus & exemplis commoniti, Veſtrae Regiae co-
„ gimur dicere Maieſtati, quod Ambroſius ad Im-
„ peratorem de Eccleſiaſtica pertulit libertate. Nil
„ regi honorificentius quam quod filius dicatur Ec-
„ cleſiae, quod non latere . . . . haec plena illius
„ adfectus ſunt verba, quod debet Sacerdos conſu-
„ lere Regis ſaluti. Oportetne quidquam potius,
„ quam ut ab Eccleſia ceſſet iniuria? Haec Beatus Am-
„ broſius. Condolemus, Princeps Chriſtianiſſime,
„ & neceſſitatibus quamplurimum, quas ore ve-
„ ſtro, tamen pro nobis, cum ſumma animi benigni-
„ tate detectas non ſine magnis lacrimis & dolore
„ audivimus. In veſtro namque periclitamur peri-
„ culo, & in veſtris ruinis corruimus. Sed ecce non-
„ niſi cum vita iubemur libertatem Eccleſiaſti-
„ cam relinquere indefenſam, nec pro tranſitoria
„ pace mundi ſempiternam perdere. Ac quum non in
„ multitudine victoria belli, ſed de coelo fortitudo
„ ſit, orante namque Moyſe, legimus viciſſe po-
„ pulum, & ceſſante ſuccubuiſſe, arma noſtrae mi-
„ litiae lacrimas, & orationes offerimus. Dicentes
„ cum Pſalmiſta: Hi in curribus, & hi in equis,
„ nos autem in nomine Domini invocabimus. Hor-
„ tamur igitur, & obſecramus Veſtram Regiam Ma-
„ ieſtatem per viſcera Domini noſtri Ieſu Chriſti,
„ ut ad ſummae Trinitatis providentiam animum eri-
„ gens, & magis in Dei adiutorio, & Eccleſiae
„ precibus, quam bellorum ducibus, libertatem ſan-
„ ctae Eccleſiae protegendo, viribus confidens Deum
„ ſibi quaerat propitium. Ingreſſuri namque Roma-
„ ni bella Deos ſibi placatos reddere hoſtiarum im-
„ molatione ſtudebant, ſi quid erat templo illatum
„ moleſtiae, primitus reparantes. Narrat itaque Va-

le-

„ lerius, eo maxime Dionyſium regem Siciliae corruiſſe, quod nullam divino cultui & miniſtris ſervari praerogativam cenſuiſſet. Hanc noſtram orationem Regia Veſtra Manſuetudo ſupportet, & noſtras preces clementer exaudiat, nec pro modica quantitate, quae parum vobis emolumenti adiiciet, nondum apertam tam periculoſam viam aperiat, ne modicum fermenti totam maſſam corrumpat. Deo igitur gratias agentes immenſas, qui talem nobis dederit Regem, qui pura mente tanto caritatis fervore Eccleſiam diligit, ut omnes Eccleſiaſticos in Domini cultu praecellat, obſecramus cunctipotentem, ut qui ſpecialem Vos Eccleſiae protectorem elegit, ſua Vos protectione cuſtodiat, & greſſus Veſtros feliciter dirigat. Amen.

Hactenus *Alanus*, cui & ipſe lubens adſentio, qui Eccleſiaſticam libertatem & uſque pro viribus adſero, & documentis intrepide, & ſcriptis, editis tueor. Nonne enim & in hac parte religioni, ac pietati, velificabor, qui alia caeleſtia Romanae Eccleſiae dogmata, & certa atque indubitata Chriſtianae ſapientiae placita, & κυρίας δόξας, primis ingenii mei foetibus, veluti primitiis quibusdam aeterno Numini oblatis, adverſus Haereticorum deliramenta defendi? Obganniant enim quidam, ut lubet, atque animo livore tabido indulgeant, quicumque mea ſcripta diligenter evolverit, niſi plane hebes indoctusque caecutiat, me Chriſtianae Religionis, & adverſus Deum pietatis, Divoſque eius famulos reverentiae, adſertorem ac vindicem facile, & primore adſpectu, deprehendet. Hinc non mirum ſi viros longe doctiſſimos, quorum examini

a Prae-

a Praeſidibus mea ſcripta lucubrationeſque ſubiiciuntur, mihi lubenter adſentientes, & omnia adprobantes, offendo; &, ut alios in praeſens taceam, *Th. Mariam Griſellium*, e Praedicatorum familia Profeſſorem Theologiae praeſtantiſſimum, in quo animi pendeo, an doctrinam ſingularem, & eruditionem omnigenam magis ſubſpiciam, vel morum probitatem, & zelum ſanctae Religionis invictum, & amorem caſtae & ſimplicis veritatis incredibilem; nam de eo effatum illud iure uſurpare quis poſſit: *Amicus Plato, amicus Ariſtoteles, ſed magis amica veritas*; ipſe addiderim: *Magis amica religio, magis amica iuſtitia, magis amica probitas*. Et hae quidem laudes etiam *Octav. Ruſticio*, Monacho Caſinenſi, & Theologiae, & Philoſophiae, liberaliumque diſciplinarum Profeſſori clariſſimo, congruere omnino videatur ei, qui aequus rerum fuerit aeſtimator.

HEnricus IV. (1), annis quadraginta novem. Hoc tempore Ildebrandus Cardinalis, qui poſtea Papa factus, Gregorius dictus eſt, Legatus in Francia, quum contra quemdam ſimoniacum Epiſcopum proceſſiſſet, & ille, pecunia data, contra ſe teſtes abrogaſſet, dixit Legatus: *Divinam ſententiam expectemus, dic ergo Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto;* Qui nullo modo, quia contra Spiritum Sanctum peccaverat, reſpondere non primum potuit, donec depoſitus de Epiſcopatu. Hic Ildebrandus

dus poſtmodum Papa factus Gregorius, Imperatorem excommunicat; quare Imperator omnia eius decreta laxari iuſſit, ſed & conſilio viginti quatuor Epiſcoporum, & Nobilium, Epiſcopum (2) Ravennatem in Papam conſtituit, & quum Rodulphum Regem Alamanniae ſacraſſet, cum ſuo Antipapa Romam venit, & eum Papam conſecravit, & ab ipſo coronatur. Papa vero Gregorius cum Cardinalibus in caſtello Sancti Angeli ſe recluſit (3). Sed Robertus Rex Apuliae (4) Romam venit, Imperatorem cum ſuo Antipapa fugavit, & Gregorium in ſua ſede reſtituit. Hoc tempore terraemotus Siracuſam adeo concuſſit, ut maior Eccleſia rueret, & omnibus occiſis, ſolus Sacerdos, qui Miſſam cantabat, & Diaconus, & Subdiaconus, & unus Clericus evaſerunt, cum admiratione cunctorum. Hoc etiam tempore, dum in convivio ſederet, memorabilis multitudo murium in eum ſolum inruit (5), & non poterat defendi, & ideo a propriis in navem ductus, etiam ipſum in aquam ſequuti ſunt, adeo ut & navem etiam corroderent, & aqua intraret; tunc cito in terra depoſitus, a muribus eſt comeſtus. Nec hoc incredibile, quia de leopardo fertur, quod ſi quem momorderit, mox conveniunt mures, & ipſum commingunt, & ſic homo fedatus, ex-

ſpi-

pirat; & hoc pro certo in aliquibus terris contingere dicitur. Hoc etiam tempore (6) innumerabilis multitudo Gallicorum perrexit in ſubſidium Terrae ſanctae. Tunc Sanctus Andreas adparuit cuidam ſancto viro, ruſtico (7) tamen, & revelavit ei lanceam, qua Chriſtus fuit lanceatus; qui fodiens in Eccleſia S. Petri Antiochiae eam reperit; & quum dubitaretur, alter cui Chriſtus adparuerat, fecit ignem XIII. pedum, praeparavit, & ipſum cum Lancea illaeſus tranſivit. Et quum exercitus obſideret Caeſaream, accipiter columbam (8) deſuper volantem deiecit, circa quam repertae ſunt litterae: *Rex Accaron Duci Caeſareae ſalutem. Generatio canina venit, contra quos per te, & per alios legem tuam defende, & hoc idem aliis civitatibus nuntia.*

(1) Tertius ſcilicet inter Imperatores, ſed Regum Germaniae IV. quod obſervandum etiam in Henricis, qui praecedunt; nam ex. gr. Henricus II. eſt II. Rex, ſed primus huius nominis Imperator: nam in hoc nulla Henrici Aucupis ratio habetur. Conſule Diplomata ſtatim adducta, & *Ic. Villanium lib. IV. Cap. IV.*

(2) *Guibertum* nomine, anno MXXX. Hic vocatus eſt Clemens. Adi *Chronicon Pontificum Leonis* noſtri *pag.* 197.

(3) Cunctam hanc diſſidii Gregorii VII. cum Henrico IV. Hiſtoriam habes egregie pertractatam a *Natal. Alexandro Tom. VI. Hiſtor. Eccleſiaſt. Diſſert. II.* in

Sae-

Saecul. XI. & XII, & *Florido lib. Hiſtor. Eccleſ.* Conſule *Leonem* noſtrum in *Gregorio VII. pag.* 196.

(4) Robertus Guiſcardus ſcilicet, de quo *Villanius* & *Dantes*, praeter alios innumeros, & ut Scriptorem ineditum memorem, *Laur. Bonincontrius* in *Hiſt. Neapolit.*

(5) Huiuſmodi murium infeſtationes celebres ſunt in Hiſtoria ſacra & profana; ſed vereor, ne haec in fabellarum album referenda ſit. *Ant. Franc. Gorius V. C. Tom. I. Muſ. Florent.* ita erudite ſcribit. „ Verum ſi mus ſcandens Serapidis candelabrum, „ arbitrio ſcalptoris additus non ſit, indicare poteſt eiusdem Dei virtutem abigendi mures, quos „ ſcimus perſaepe e terra exortos complurium urbium incolas coegiſſe, relicto patrio ſolo, alias „ ſedes ſibi quaerere, quod de Troadibus, & de „ Gyari inſulae incolis Plinius, deque Abderitis memorat Iuſtinus, & de quibusdam etiam Italiae „ populis AElianus. Idem auctor narrat, mures in „ AEgypto poſt pluviam obortos, longe lateque totis arvis vagantes, maxima calamitate AEgyptios „ adficere conſueviſſe, corroſis ſpicis, ſucciſiſque „ ſegetibus: qui tandem nulla arte, nulliſve inſidiis „ eos repellere valentes, quum aptiſſimi ad ſaliendum reptandumque per muros, etiam leves & incruſtatos eſſent, de ſpe & conatu depulſi, ad deprecandam ſuppliciter a Deo calamitatem ſe convertebant; quare mures divinae tamdem irae metu in montem quempiam aufugiebant. Hunc Deum „ murium depulſorem apud AEgyptios, cuius nomen tacuit AElianus, Serapidem fuiſſe auguror; „ eaque ut arbitror de cauſa, in candelabro eidem „ dedicato ſculptum eſſe murem. Pari beneficentia „ uſam fuiſſe Iſidem ferunt in AEgyptios vexatos

a ſcor-

„ a ſcorpionibus venenoſis, ad quos avertendos mu-
„ lieres lugentes nudis pedibus incedebant. Ita quo-
„ que in tripode Apollinis *Sminthei*, hoc eſt, *mu-*
„ *rium interfectoris*, qui erat in eius templo apud
„ incolas Amaxiti Troadis, effigies muris inſcul-
„ pta erat, eodem AEliano auctore, qui etiam mu-
„ res ab iisdem adorari narrat. Euſtathius memo-
„ riae proditum adfirmat in urbe Chryſa fuiſſe tem-
„ plum Apollinis Sminthei, muremque ſub pede
„ eius ſimulacri iacuiſſe, Scopae Parii opus, veluti
„ ſymbolum quod veram nominis eiusdem Dei *Ser-*
„ *vatoris* rationem ſervabat. „ Et haec quidem eruditiſſimus *Gorius*. Ipſe addiderim, exercitus Syri ſub Sennacheribo excidium muribus ab *Herodoto* adſcribi, quum ſcutorum coria, & arcuum amenta corroſiſſent. Agros Philiſtinorum a muribus vaſtatos ſcimus, quum illi Arcam Domini in regionem ſuam tranſtuliſſent; eosdemque populos muribus aureis cum Arca ad Iudaeos miſſis, crimen expiaſſe, divinamque ultionem avertiſſe. I. *Regum* V. VI. quae quidem inſueta fuit, & mirabilis, quum praeter agrorum vaſtationem, anos illos Palaeſtinorum adroderent, & eorum eſſent corporibus exitiales.

(6) Anno MXXXIX.

(7) Veteres Scriptores, qui id tradiderunt, clericum fuiſſe ſcribunt. Conſule *B. Accoltum lib.* III. *De Bello ſacro*, & ad eum *Th. Demſterum*.

(8) Vſum huiuſmodi columbarum ad Epiſtolas ferendas celebrem in Oriente fuiſſe tradunt Scriptores plures antiqui apud *Demſterum* in *Adnotat.* in *lib.* III. *Accolti De Bello ſacro n.* 60. Id uſurpatum etiam vigente Rep. Romana ex *Plinio lib.* X. *cap.* XXXII. intelligimus. Hinc *Torquat. Taſſus lib.* XVIII. *Iero-*

ſolym.

ſolym. liberat. n. 49. adpoſite columbam litteras ferentem inducit. Ceterum haec *Leo* ex *Martino* deſumſit.

HEnricus V. annis quindecim. Iſte fratrem ſuum in vinculis mori fecit. Hic Burdinum ſuperordinavit Papae Gelaſio, quia non interfuerat electioni. Sed mortuo Gelaſio, Sixtus (1) factus eſt. Imperatorem cum ſibi faventibus excommunicavit, & Burdinum cepit. Tunc Imperator ad cor rediens (2) omnia Eccleſiae ablata reſtituit, & annulum, & baculum reſignavit (3). Hoc tempore Compoſtellanus Epiſcopus factus eſt Archiepiſcopus, & Lucana Eccleſia pallio decoratur. Vgo de ſancto Victore floruit (4).

(1) Lege *Calliſtus*, ut habetur in *Chronico Pontificum*.

(2) Conſule *Platinam* in *Calliſto II.* & ad eum *Onuphrium*.

(3) Hoc eſt Inveſtituras, quae per annulum & baculum tradebantur. Conſule *Fleurium Tom.* XIII. & XIV. *Hiſtor. Eccleſiaſt.* & *Natal. Alexand.* loco paulo ante laudato.

(4) Henrici IV. ſeu V. Imperatoris Diploma proferimus, quod quidem eo pluris aeſtimamus, quod ad preces duorum clariſſimorum Virorum conditum ſit, Bernardi ſcilicet Vberti Cardinalis, & Epiſcopi

pi Parmenſis, & Pontii Abbatis Cluniacenſis. Et quidem Bernardi huius Florentini, & Abbatis Vallumbroſani, alibi ad Chronicon Pontificum Leonis noſtri mentionem fecimus *pag.* 188. quaeque ibi diximus, confirmantur a *Baronio*, & *Florido Hiſtor. Ecclеſ.*

In nomine Sanctae, & individuae Trinitatis, Henricus divina favente clementia Romanorum quartus Imperator Auguſtus.

Quum omnium fidelium petitionibus, & neceſſitatibus ſubvenire debeat Imperialis maieſtas, multo magis iis eſt impartienda eius beneficii clementia, quos Religionis praecipue exuberare facit gratia. Quapropter notum eſſe volumus omnibus Imperio noſtro ſubiacentibus, quod petitione venerabilis viri Bernardi Parmen. Epiſcopi, & dilectiſſimi cognati noſtri Pontii Cluniacenſi Abbatis cuncta Monaſteria Vallumbroſanae Congregationis ubilibet poſita ſub noſtri Imperii tuitione, ac defenſione ſuſcepimus. Statuimus itaque ut nullus Archiepiſcopus, Epiſcopus, Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, nulla Civitas, nulla alia magna, ſeu parva perſona Eccleſiaſtica ſecularisve, praedicta Monaſteria inquietare audeat, vel eorum poſſeſſiones ſeu reliqua bona auferre, minuere, quoquo modo vexare, praeſumant, ſed cuncta, quae iisdem Monaſteriis oblata ſunt, vel offerri contigerint, vel aliis quibuſque modis iuſte adquiſita ſunt, vel in futuro adquiſiverint, libera, & quieta, ſervorum Dei ſervitiis, & utilitatibus ſubiaceant. Praeterea noſtra Imperiali auctoritate concedimus, & confirmamus quidquid in praeſenti poſſident, vel in futuro poſſeſſuri ſunt, ut eisdem Monaſteriis rata, & illibata permaneant, & ab omnibus exactionibus, ſeu mo-

leſtiis libera. Huius autem noſtri Imperialis praecepti ſiquis, quod abſit, violator exſtiterit, ſciat compoſiturum ſe auri puriſſimi libras centum, medietatem Camerae noſtrae, & medietatem praedictis Monaſteriis, & ut verius credatur, & firmius cuſtodiatur, manu noſtra ſubſcripſimus, & Sigilli noſtri impreſſione inſigniri iuſſimus.

Signum manus Henrici Romanorum IIII. Imperatoris Auguſti invictiſſimi.

Ph. Cancellarius recognovit vice Archicancellarii Alberti Maguntini Archiepiſcopi. Huius rei teſtes ſunt:

Arnoldus Spiren. Epiſcopus Erbipolen. electus.

Gebeardus Odericus Livitaten. Epiſcopus

Actum eſt hoc anno ab Incarnatione Domini MCXIIII. Indict. VII.

Datum Bovenegnae nonas Auguſti.

Hoc etiam Gulielmus Praeneſtinus Epiſcopus ſua corroboravit praeſentia.

Quum igitur Henricus V. Imperator Monaſteria Congregationis Vallis Vmbroſae ſua protectione munierit, non mirum ſi Conradus etiam Tuſciae Marchio ſub eodem Imperatore, quum in Etruria verſaretur, eadem peculiari favore proſequutus eſt, atque ſequens Diploma conceſſit.

In Nomine Sanctae, & individuae Trinitatis. Anno ab Incarnatione Domini noſtri Ieſu Chriſti MCXX. Pridie Aprilis Indictione XIII. Conradus Dei gratia ſi quid eſt. Omnium quidem Eccleſiarum curam iuxta poteſtatis vires divinitus nobis collatas ſolicita meditatione geſtare debemus, ſed illarum maxime nego-

 tia

tia ſubſtentare nos expedit, in quibus ſanctorum virorum congregationes regulariter prae ceteris converſari conſpicimus. Decet namque ut quos ſua gratia divina maieſtas irradiat, dignis beneficiis, & honoribus terrena poteſtas extollat. Itaque dum in Tuſciae partibus pro iuſtitia facienda multa olim negocia prae manibus haberemus, atque ad effectum quaeque pro qualitate factorum ducere, cum noſtris fidelibus tractaremus, eoque de diverſis Provinciis copioſam, & innumerabilem exercitus manum undique colligeramus, Eccleſias Venerabilium Congregationum Vallis Vmbroſae, & eorum loca, a noſtris, nobis ignorantibus, moleſtari praeſenſimus. Quod non ſurda aure audientes atque velocius huiuſmodi impietatis facinus non ſolum praeſentibus, verum etiam futuris temporibus decrevimus funditus exſtirpare, quanto religioſius, atque ſingularius eorum converſationem noſtris temporibus novimus prae ceteris dimicare. Igitur dum iuxta Paſſinianum Caſtrum, ubi una ex eorum maxime Congregationibus religioſa converſatione praefulget, noſter exercitus ſua caſtra locaret, contigit, ut eorum res, eorumque homines, pro albergariae offenderet occaſione, & contra noſtram voluntatem aliquantulum infeſtaret. Unde praedictam occaſionem ab eis eorumque locis omnino ſubtrahere cupientes conceſſimus eis huius inſtitutionis noſtrae reſcriptum futuris temporibus, ut credimus, ſub Dei gratiam profuturum, noſtrae praeſentiae auctoritate ſuffultum, multorumque teſtimonio comprobatum. Cui interfuere Federicus Marchionis Nepos, Artinigius, Lambertus, Comes Arnaldus, & Frater ipſius, item Adelelmus Imperii Capellanus, Guido filius Alberti, Vgo filius Vgonis, Henricus filius Federici, Vbertus Ildebrandini filius, Vgolinus filius Vberti, Ildeprandus filius Henrici, Rolandus filius Ildeprandi, Ar-

Arnulphus de Marturi, Gerardus filius Azzolini de Pognio, & reliqui plures. Quibus etiam viva voce praecepimus ne eos eorumque homines ulterius in aliquo audeant moleſtare, imo moleſtantes noſtri vice ſtudeant pro viribus coercere. Rogamus etiam atque rogando praecipimus, ut nullus deinceps Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, Caſtaldio, nulla maior minorve perſona, tam Clericorum, quam Laicorum, eos eorumque loca quae modo habent, vel in antea adquirere Deo auxiliante poterunt, tamque eorum poſſeſſiones, quam in eorum poſſeſſionibus commorantes audeat moleſtare, vel altergare, aut aliquod foderum, vel ſeculare placitum, ſine eorum praeſcientia, & voluntate bona violenter aliquid auferre, vel compellere. Item praecipimus, ut nullus infra Monaſterii poſſeſſiones, vel iuxta eorum loca ad damnum Monaſterii, ſine eorum conſenſu Caſtellum audeat aedificare, aut aliquam munitionem conſtruere. Siquis autem, quod abſit, huius noſtrae inſtitutionis paginam infringere, aut in aliquo temerare praeſumpſerit centum librarum argenti poenam componat, medietatem Camerae noſtrae, medietatem praedicto Monaſterio. Quod ut verius credatur, & futuris temporibus inconcuſſum, & inviolabile ab omnibus habeatur, non ſolum noſtrae manus ſubſcriptione, verum etiam noſtri Sigilli expreſſione inſigniri omnino decrevimus.

Signum D. Conradi Marchionis ✝

Ego Henricus Advocatus, &c.
Ego Vbertus Cancellarius, & Capellanus eiusdem Marchionis ſcripſi, & tradidi.

Locus ✝ *Sigilli.*

LOtharius III. annis undecim (1). Hoc tempore fuit valida fames in Italia; & in Francia maxima ſiccitas.

(1) Vndecim, vel potius tredecim, videlicet regnavit, quatuor vero imperavit, ut ex ſequenti Diplomate conſtat, quod quidem verum eſſe deprehenditur. Nam Henricus V. obiit anno MCXXV; & eius ſucceſſor Lotharius naturae conceſſit Tridenti anno MCXXXVIII. Ceterum in noſtro Diplomate diſtinctio illa annorum regni, & Imperii deſumitur a tempore coronationis Lotharii; quum enim electus fuiſſet Imperator anno MCXXV. anno demum MCXXXIII ab Innocentio II. coronatus eſt. Hoc vero Lotharii privilegium confirmatio quaedam eſt eorum, quae Bonifacius Marchio, & Comitiſſa Mathilda Monaſterio S. Salvatoris Fontanae Taonis conceſſerant, & Corradus II. Imperator ſuo Diplomate roboraverat, ut intelligere eſt ex eorum Diplomatibus, quae ad Chronicon Pontificum Leonis noſtri *pag.* 165. 168. 189. 190. protulimus. Diploma autem eſt quod ſequitur.

In Nomine Sanctae, & Individuae Trinitatis. Lotharius divina favente clementia Romanorum Imperator Auguſtus. Quidquid locis divino cultui mancipatis noſtrae liberalitatis munimine conferimus, id nobis ad aeternae retributionis remunerationem prodeſſe minime diffidimus. Cognoſcat igitur omnium fidelium Sanctae Dei Eccleſiae, ſeu noſtrorum praeſentium ſimiliter futurorumque ſolertia, qualiter nos per hanc noſtri praecepti paginam, prout iuſte, & legaliter poſſumus, confirmamus, & corroboramus, Monaſterium

S. Sal-

S. Salvatoris, quod eſt in loco qui dicitur Fontana Taonis, una cum Abbate Theodorico cum omnibus Monachis ibi Deo famulantibus, ſcilicet cum omnibus eorum rebus, & proprietatibus, ac terris, vineis pratis, paſcuis, ſilvis, paſcuationibus, cultis, vel incultis, quae quondam Bonifacius Marchio pro remedio animae ſuae contulit ibidem nominative Caphagio, qui vocatur Bonifazingo, ſimul & ea quae ab Imperatore Henrico donata ſunt ei, & confirmata in loco nuncupato Staiano, cum omnibus ad eccleſiam illam pertinentibus, & in Bacio quidquid pertinet ad ius regium, & quicquid Comitiſſa Mathilda eidem Monaſterio contulit; Hoſpitium ſimiliter ſancti Michaelis iuxta Rhenum poſitum in Caſagio, qui vocatur Caſile, cum omnibus ibi pertinentibus, & colles Barbatuli, cum omnibus ſibi pertinentibus in loco qui dicitur Plonte Terris, quas praedicta Comitiſſa dedit, & Periano, cum omnibus ſibi pertinentibus, & Alpes ubi praedictum Monaſterium ſitum eſt ab Eccleſia Sanctae Mammae uſque ad colles Bolagii, uſque ad Petram Botiliariam ad caput Lentule, ad terram de Traſino, cum omnibus Vallibus, & Collibus ſuis, & aquarum decurſibus in Lementriam, & uſque ad Rioli, & ad locum qui dicitur Canile, & ad viam publicam Collinae, revertentem uſque ad Eccleſiam Sanctae Mammae. Bona igitur quae infra praeſcriptos habent terminos, montes ſimiliter, & colles, valles, & aquas, ſeu etiam totam ſupradicti Monaſterii poſſeſſionem tam mobilem, quam immobilem, vel & quidquid idem locus in antea meretur habere per dationem religioſorum, ſeu devotarum feminarum collatum exſtitit; Confirmamus per noſtram Auguſtalem potentiam, ea ſimiliter ratione quatenus praedictus Abbas ſuique ſucceſſores Monachique in eodem Monaſterio Deo militantes in

uſum , & ſumptum praedictas res habeant , teneant , & poſſideant , fruanturque iure perpetuo omnium contradictione remota . Inſuper volumus , ut univerſitati praeſentium ſimiliter & futurorum pateat nos idem monaſterium in noſtram defenſionem recepiſſe , ut quiete ac pacifice perpetuo permaneat , abſque moleſtatione alicuius . Nos ergo praecipimus , ut ab hac hora in antea nullus Dux , nullus Marchio , Epiſcopus , Comes, Vicecomes , Caſtaldio , Geuldachio , Decanus , nulla noſtri Imperii parva magnave perſona , audeat Theodericum Abbatem ſuoſque ſucceſſores , atque alios Monachos , qui ſunt , & pro tempore Deo inibi famulantur , diſveſtire , aut moleſtare , aut inquietare praeſumat . Siquis autem huius praecepti noſtri violator extiterit , ſciat ſe compoſiturum auri optimi libras centum medietatem Camerae noſtrae , & medietatem Monachis in ſupradicto Monaſterio Deo pro tempore militantibus . Et ut verius credatur , & diligentius ab omnibus obſervetur . . . . roborantes Sigilli noſtri impreſſione iuſſimus inſigniri .

Signum D. Lotharii VII. Romanorum Imperatoris invictiſſimi .

Ego Berthaldus ſcriptor D. Imperatoris iuſſu Domini Cancellarii recognovi .

Datum anno Dominicae Incarnationis MCXXXVI. Indict. XIV. Anno Domini Lotharii regnantis XI. Imperii vero IIII.

Actum apud Placentiam in Roncalibus .

Loco ✝ *Sigilli .*

Con-

Conradus III.annis quindecim. Hoc tempore Magiſter Arnaldus (1) contra divitias praedicans Romae, & multi nobiles ſequebantur eum, tandem captus ſuſpenditur. Ioannes, qui vixerat annis CCCLXI. (2) moritur. Riccardus de Sancto Victore, & Magiſter Petrus Lombardus, qui ſententias compoſuit; & Gratianus Cluſinus, qui Decretum compoſuit, floruerunt. Hic Imperator ultra mare multa bella pro Sancta Terra glorioſe geſſit; caruit tamen benedictione (3) Papali, & Imperiali; nam quum rediret obiit (4).

(1) Arnaldus de Brixia, cuius hiſtoriam habes apud *Natal. Alexandrum*, *Fleurium*, *Caveum*, *Oudinum*, *&c.*

(2) Quis hic Ioannes fuerit, ignoro prorſus: ſed plane fabuloſus eſt numerus annorum, quibus ille vixit. Ceterum varii feruntur, qui poſt Diluvii tempora longa admodum aetate vixerunt.

(3) Conſule *Platinam* in Lucio II. & Eugenio III.

(4) Huius Conradi, quum Etruriae Marchio eſſet, Diploma ad Henricum V. produximus *pag.* 177.

Fridericus primus annis triginta ſeptem. Hic coronatur in Eccleſia ſancti Petri, & fuit largus & in omnibus glorioſus (1). Civitas Edeſſa, quae & Arath dicitur in Geneſi, capitur, & Epiſcopus cum omni Cle-

ro decollatur, quia Chriſtum negare noluit (2). Hoc tempore ſol eclipſatur ante horam tertiam pars, & ſepulcrum Domini capitur, & Crux Chriſti a Soldano (3). Hic ad reparationem Terrae ſanctae cum magna multitudine pergens per terram, timens mare, in parvo flumine interiit, miſſus a Papa Alexandro; quia primo contra Eccleſiam fecerat. Hoc tempore Abbas Ioachimus in Calabria floruit; & Thomas Cantuarienſis pro Eccleſia occiditur; & Rex Angliae iuravit, quod numquam de ſuo conſilio fuerat occiſus, & hoc iuramentum fecit coram duobus Cardinalibus, quos Papa direxerat. Hoc tempore floruit Petrus Comeſtor, qui Hiſtorias Bibliae compilavit (4).

(1) Hinc bonus a *Dante* vocatur *Purgator.* XVIII. *Sotto lo imperio del buon Barbaroſſa.*
Sed quum Eccleſiam infeſtam habuerit, forte ſtudio partium Gibellinus Poeta ita eum commendavit. Laudibus etiam eum fert *Io. Villanius Lib.* V. *Cap.* I.

(2) *Platina* ſub Lucii II. Pontific. id eveniſſe ſcribit.

(3) Soldanus hic fuit Saladinus AEgyptius, ut *B. Accoltus De Bello ſacro lib.* IV. & *Platina* in *Vrbano* III. tradunt; vir bellica virtute, & prudentia ſapientiaque memorabilis, qui etſi Chriſtianorum regiones, & urbes in Syria ſubiugaverit, nihilominus Chriſtianos mercatores, alioſque, qui in Oriente morabantur, aut commercia exercebant, beneficiis auxit, ut ex inſtrumentis foederis & pactorum cum

Piſa-

Piſanis, quos hoſtes expertus erat, ut ſcribit *Platina* in *Clemente* III. facile eſt intelligere: quae quidem olim edituri ſumus ex apographis Bibliothecae Riccardianae, in Codice chartaceo, qui olim fuit Petri Criniti.

(4) Eius Hiſtoria *Scholaſtica* adpellatur. Hic de Friderico adnotaverim, ipſum pacem iniviſſe cum Alexandro III. anno MCLXXVII. atque huius rei teſtimonium exſtare etiam inſcriptionem marmore inciſam in coenobio Candelis agri Florentini, quae ita habet:

Tempore quo fuerat Venetis pax reddita terris
Hoc opus Abbatis lector cognoſce Ioannis
Anno MCLXXVII.

Ceterum Friderici I. varia Diplomata edimus.

In Nomine Sanctae, & individuae Trinitatis. Fridericus divina favente clementia Romanorum Imperator Auguſtus. Quum omnium fidelium petitionibus & neceſſitatibus ſubvenire debeat Imperialis maieſtas, multo magis his eſt impartienda eius beneficii clementia, quos Religionis praecipue exuberare facit gratia. Quapropter notum eſſe volumus omnibus Imperii noſtri fidelibus, quos divinae mercedis intuitu, & fidelium noſtrorum interventu Ioannis ſimiliter Strumenſis Abbatis, & Andreae Placentini, Marino Vallumbroſanae Eccleſiae Praeſidente, cuncta monaſteria Valliſumbroſanae Congregationis ubilibet poſita ſub noſtra Imperiali tuitione ſuſcepimus. Statuimus itaque ut nullus Archiepiſcopus, Epiſcopus, Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, nulla Civitas, nulla perſona parva vel magna, eccleſiaſtica, vel ſecularis, praedicta monaſteria inquietare audeat, vel eorum poſſeſſiones, ſeu reliqua bona auferre, minuere, vel quoquo modo vexare praeſumant, ſed cuncta, quae eiusdem monaſteriis oblata ſunt, vel offerri contigerit, vel aliis quibuſcumque modis iuſte adquiſita ſunt, vel in futuro adquiſiverint

rint libera, & quieta ſervorum Dei ſervitiis & utilitatibus ſubiaceant. Praeterea noſtra Imperiali auctoritate concedimus, & ſalva in omnibus Imperiali iuſtitia confirmamus, ut quaecumque in praeſenti iuſte poſſident, vel in futuro poſſeſſuri ſunt eiſdem monaſteriis rata, & illibata permaneant, & nulla poteſtas, nulla perſona, nulla Civitas, nec Florentia, nec alia, fodrum aliquod, vel diſtrictum, vel aliquam exactionem a ruſticis, vel Converſis, praedictorum monaſteriorum exigere, vel accipere praeſumant. Siquis autem huius noſtri praecepti violator extiterit ſciat ſe compoſiturum auri puriſſimi libras centum, medietatem Camerae noſtrae, & medietatem praedictis monaſteriis. Quae ut melius obſerventur praeſentem paginam Sigilli noſtri impreſſione munitam roboravimus.

Signum D. Friderici Romanorum Imperatoris invictiſſimi.

Ego Rainaldus Cancellarius Friderici Colonien. Archiepiſcopus, & Archicancellarius recognovi. Anno Dominicae Incarnationis MCLVIIII. *Indictione* VII. *Regnante Domino Friderico Romanorum Imperatore glorioſiſſimo, Anno regni eius* VII. *Imperii vero* IV. *Data in Prato Grainano Pridie Kal. Decembris.*

In Nomine ſanctae, & individuae Trinitatis. Fridericus divina favente Clementia Romanorum Imperator, & ſemper Auguſtus. Univerſis Imperii noſtri fidelibus tam futuris, quam praeſentibus, notum eſſe volumus, qualiter Ven. Frater Gervaſius Abbas Coenobii ſanctorum Mercurialis, & Grati, quod ſitum eſt in territorio Livien. una cum fratribus ſuis Noſtrae

Sere-

Serenitatis praeſentia adierit orans humiliter, & petens, ut praedictum Coenobium eum perſonis, & poſſeſſionibus, in noſtrae defenſionis tutelam reciperemus. Cuius piis precibus pro noſtra, noſtrorumque ſalute, benignum praebentes auditum, ſupramemoratum Monaſterium, cum perſonis, & omnibus pertinentiis in noſtram tuitionem recepimus, omneſque poſſeſſiones, & cetera bona mobilia, vel immobilia, quae nunc iuſte poſſidet, vel in futurum legitime acquirere poterit, ſalva per omnia imperiali iuſtitia, ex auctoritate noſtra confirmavimus. Statuentes itaque praecipimus, ut nulla Civitas, nulla Poteſtas, nullus Iudex, nulla perſona magna vel parva, praefati monaſterii res, vel pertinentias ad utilitatem Abbatis, & Fratrum deputatus ulla poteſtate, vel aliquo ingenio inquietare, uſurpare, vel alienare praeſumat, nullamque de poſſeſſionibus, vel hominibus praeſcripti monaſterii fodrum aliquod exigere, vel accipere audeat niſi ſolus Imperator, vel eius certus Miſſus. Iubemus etiam ut ſuper bona, vel homines eiusdem monaſterii, placita tenere vel habere diſtricta nullus debeat niſi ſolus Coenobii Abbas, nullique liceat oblata in eleemoſynam, & animarum redemptionem aliquo modo ab Eccleſia ſine legali iudicio auferre. Quicumque autem huius noſtri praecepti violator eſſe praeſumpſerit ſciat ſe compoſiturum auri puriſſimi libras centum, dimidium Camerae noſtrae, & dimidium pro Abbate eiuſque ſucceſſoribus. Quod ut verius credatur, & obſervetur praeſentem Cartulam Sigillo noſtro iuſſimus inſigniri.

Signum Domini Friderici Romanorum Imperatoris Invictiſſimi.

Ego Reinaldus S. Palatii Imperatoris Cancellarius recognovi.

Acta

Acta ſunt haec anno Dominicae Incarnationis MCLVIIII. *Indict.* VII.

Locus ✝ *Signi*

Regnante Domino Friderico Romanorum Imperatore Sereniſſimo anno Regni eius VIII. *Imperii vero* V. *Datum apud Novam Laudam* II. *kal. Iulii.*

Locus ✝ *Sigilli Imperialis.*

In Nomine Sanctae & individuae Trinitatis. Fridericus primus divina favente clementia Romanorum Imperator, & ſemper Auguſtus. Quoniam tenemur ante Tribunal Chriſti Deo ſuaeque S. Maieſtati in die iudicii reddere rationem ſi per improvidentiam Imperii noſtri homines in camino perirent, & nulla maior eſt in mundo hoc merces, quam in locis egentibus conſtruere fontes, & hoſpitales, & maxime in Alpibus unde domeſtici Dei debent tranſire. Quapropter cognoſcant univerſi Chriſti Imperii noſtri fideles per Italiam conſtituti praeſentes, & futuri, quod nos pro amore Ieſu Chriſti, & pro noſtra omniumque perpetua ſalute monaſterium glorioſae Mariae de Criſpino ordinis S. Benedicti, Abbates, Monachos, & omnes in eo Domino famulantes, & omnia bona eiusdem monaſterii mobilia, & immobilia ſub noſtrae maieſtatis protectionem atque tutelam benigne ſuſcepimus, & omnes alios homines infra veſtrum territorium habitantes, & habitatores ſeu, ut extenditur a Ponte Viliani, uſque ad fontem Petrae Sanctae; ſtatuentes, & facientes eos exemptos a conſortio, & dominio Florentinorum,

&

& Faventinorum, a Comitibus Guidis & ab illis de Piſce, a Paganis, & a Gattriggiis, a Gulfis, & ab Vbaldinis, & ab omnibus aliis nobilibus viris, ſed immediate ſub Imperiali maieſtate recepimus, dantes & concedentes vobis, Domine Abbas, veſtriſque ſucceſſoribus in perpetuum, licentiam colligere, vel colligi facere, nomine veſtri monaſterii in loco, ubi dicitur Paracapello, veſtro terreno, pedagium omnibus pereumdem locum tranſeuntibus pro quolibet capite unum denarium Lucen. qualibet vice, & pro qualibet beſtia ſarcinata vel onuſta quatuor denarios. Iudaeis quoque & barbaris, ac in haeretica pravitate collapſis, valeatis eorum ſpolia accipere, & ea convertere in cibum pauperum, ſicut fuit nobis indultum ab Apoſtolica Sede, ita habeatis in hac parte, promittentes nobis in verbo veritatis; conſtrui facere Pontem & Hoſpitale in ſupradicto loco Paracapelli, & manutenere in perpetuum, ſtatuentes in eodem unum vel duos de veſtris fratribus, ut pauperes Chriſti conſolentur & recipiantur. Inſuper concedimus vobis, Dom. Abbas, de plenitudine, & obtentu Ducis Bavariae Dilecti noſtri, cui in eundo Florentiam multa ſervitia in veſtro Coenobio exhibuiſtis in iuriſdictionem Grandorum Tabellionum, ut eiusdem iuriſdictionis gratiam Imperii refundentes in ſubiectos, ferre arma cum tota familia veſtra poſſitis, tam in Tuſcia, quam in Romandiola. Omnia vero iam vobis conceſſa Imperiali auctoritate noſtra confirmamus, ſtatuentes, & ſub obtentu gratiae noſtrae firmiter praecipientes, quatenus de cetero nullus Archiepiſcopus, non Epiſcopus, non Dux, non Comes, nec Vicecomes, nulla civitas, vel poteſtas, non Capitaneus, nullaque perſona ſecularis, vel Eccleſiaſtica, magna, ſive parva, praedictum Abbatem & Monaſterium in praemiſſis, vel in poſſeſſionibus ſuis, moleſtare, vel inquie-

quietare praeſumat. Siqui vero huius noſtrae auctoritatis mandatum violare praeſumpſerint, centum libras auri puriſſimi ſe compoſituros cognoverint, medietatem Camerae noſtrae, & medietatem pro Abbate. Vt autem hoc verius credatur, & ab omnibus inviolabiliter ſervetur, praeſentem paginam ſcribi, & ſigilli noſtri impreſſione iniunximus praemuniri.

Signum Domini Friderici Romanorum Imperatoris inuictiſſimi.

Ego Rainaldus Colonien. Archiepiſcopus, & in Italia Archicancellarius recognovi.

Actum quoque eſt anno Dominicae Incarnationis MCLIX. *Indictione* VII. *in praeſentia Ducum Bavariae & Saxoniae, & Daneſii eius Camerarii, regnante Domino Friderico Romanorum Imperatore glorioſiſſimo, anno Regni eius ſeptimo, Imperii vero quarto.*

Datum Caſtrocarii IV. *Idus Octobris.*

HEnricus V. annis octo. Hic coronatus eſt feria ſecunda poſt Paſcha. Et eodem anno, menſe Iunii, ſol eclipſatur. Anno Domini milleſimo ducenteſimo capta eſt Conſtantinopolis (1) a Francis, & Venetis; & quia prophetarum erat, quod debebat capi per Angelum, non credebant per hominem poſſe capi; ſed intrantibus per locum, ubi Angelus pictus erat, ſic capta eſt (2).

(1) Hiſtoriae captae a Francis Conſtantinopoleos a *Niceta Choniate* ſcripta Graece, exſtat MS. in Biblio-

bliotheca Laurentiana, quae tamen edita fuit cum aliis Byzantinis hiſtoriis.

(1) Henrici V. Imperatoris, & VI. Regis, diplomata quaedam hic producere lubet.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. Cum omnium fidelium petitionibus Regia Maieſtas ſubvenire debeat, multo magis his eſt impartienda eius beneficii clementia, quos Religionis praecipue exuberare facit gratia. His autem potiſſimum Regiae benignitatis noſtrae clementiam ſpecialius debemus impertiri, quibus ſincerae devotionis, & honeſtae converſationis intuitu Sereniſſimum Patrem noſtrum Fridericum Romanorum Imperatorem Auguſtum propenſiorem gratiae ſuae favorem impendiſſe dignoſcimus. Ea propter notum ſit univerſis Imperii fidelibus tam praeſentibus quam futuris, quod nos pro ſalute animae noſtrae & Parentum noſtrorum Monaſterium Sancti Caſſiani de Monte Scalario cum omnibus eius pertinentiis, Abbatem quoque Benedictum, & omnes perſonas in ipſo Monaſterio divinis mancipatas, ac mancipandas obſequiis, cum hominibus ſuis, bonis, ac poſſeſſionibus, quas in praeſenti habent, aut in poſterum iuſte ac rationabiliter poterunt adipiſci, in noſtram protectionem ac defenſionem recepimus. Ad haec, ipſi monaſterio, Abbati, & fratribus, atque eorum ſucceſſoribus in perpetuum concedimus & confirmamus omnia aedificia, quae ſive in flumine Arni, ſive in aliis aquis in ſuo proprio fundo habent, aut in futuro habebunt; ita nulli hominum liceat ſuperius ſeu inferius aliquod opus conſtruere, quod Monaſterio laeſionem ullo modo poſſit inferre. Ampliori quoque utilitati ipſorum providere volentes, regia eis auctoritate concedimus, ut unum canalem de Flumine Arni per proprium

So-

ſolum ſuum ad monaſterium, ſive ad alium locum ſibi congruum deducant, nulla ipſis obſtante contradictione. Ad augumentum etiam regiae benignitatis noſtrae praedictis Abbati, & fratribus, ac eorum ſucceſſoribus concedimus, ut in ſaepedicto flumine Arni, & in omnibus aliis aquis, quae ſive per Allodium, ſive iuxta Allodium Monaſterii decurrunt quaelibet utilia ſibi aedificia conſtruant ſine magno tamen damno, & gravamine aliorum. Nec ulli hominum ibi aedificare vel reſtes, aut molendinum, ponere liceat, ſine Abbatis, & Fratrum conſenſu. Vt igitur haec Celſitudinis noſtrae conceſſio, protectio, & confirmatio rata in perpetuum; & inconcuſſa permaneat praeſentem paginam praeſcribi iuſſimus, & ſigilli noſtri impreſſione communiri, ſtatuentes, & regali edicto praecipientes, ut nullus Epiſcopus, Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, nullus Capitaneus vel Valvaſſor, nulla Civitas, nullum Commune, nullus Conſul, nulla Poteſtas, nullus Civis, nulla denique humilis vel alta, ſecularis vel Eccleſiaſtica perſona praememoratum Monaſterium, Abbatem, vel fratres, aut eorum homines de Villa de Mezzano, cum aliis hominibus ad idem Monaſterium pertinentibus, datiis, collectis, albergariis, angariis, ſeu parangariis moleſtare audeat, vel quibuſcumque iniuriarum calumniis attentare praeſumat. Siquis autem, quod abſit, huius regiae conſtitutionis noſtrae temerarius violator exſtiterit, in ultionem tranſgreſſionis ſuae decem libras auri puri pro poena componat, dimidium camerae noſtrae, reliquum paſſis iniuriam.

Huius rei teſtes:

Orlandus Abbas S. Michaelis de Podio Bonitio.
Rodulphus Imperialis Aulae Protonotarius.
Comes Robertus de Naſſau.
Fredericus Dux Bicaz.

Re-

Robertus de Dorna.
Comes Guido.
Conradus de Amera.
Philippus de Boolant.
Guido, &
Orlandinus Vicecomites de Ficiclo.

Henrici VI. Diploma exhibemus, quo Piſanorum privilegia confirmantur, ex apographo Bibliothecae Riccardiane deſcriptum.

In Nomine Sanctae, & Individuae Trinitatis. Henricus Sextus Divina favente clementia Romanorum Rex ſemper Auguſtus. Regalis excellentiae noſtrae benignitas cum omnes fideles ſuos in iure ſuo manutenere conſueverit, & defenſare eos, ſpecialius dignum ducit munifica liberalitate fovere; quorum fidem, & devotionem ad exſaltationem Imperatorii culminis praeclaris obſequiis frequenter eſt experta. Inde eſt, quod noſtri pectoris arcano praelucida recolentes ſervitia, quae fideles noſtri Cives Piſani, Sereniſſimo patri meo Friderico illuſtri Romanorum Imperatori ſemper Auguſto, & noſtrae Maieſtati prae aliis Civitatibus Tuſciae, indeſinenter exhibuerunt, & in poſterum exhibere ſemper erunt parati, notum facimus univerſis Imperii fidelibus praeſentibus & futuris, quod privilegia illa quae praenominatus Pater noſter magnificus Romanorum Imperator Civitati Piſanae contulit, rata habemus, & in omne aevum firma & illibata volumus

 con-

conſervari ; eaque regiae auctoritatis noſtrae ſanctione per praeſentem divalem paginam confirmamus. Ea quoque omnia in perpetuum firma & rata volumus permanere, quae in alia divali pagina noſtra apud Novariam eis data continentur. Ad haec etiam quamcumque caſſationem privilegiorum, vel reſcriptorum Sereniſſimus pater noſter Divus Romanorum Imperator, vel nos fecimus, ratam habemus, & perpetuam firmitudinem ſtatuimus habere debere. Praeterea ſpeciali munificentiae noſtrae gratia concedimus liberaliter & indulgemus, ut eiusdem Civitatis Piſanae Mercatores per univerſum Regnum Siciliae, Ducatus Apuliae, & Principatus Capuae, ab omni teloneo ſive drictura de cetero liberi ſint & immunes. Dationes, conceſſiones, & iura, quae memoratus pater noſter eidem Civitati contulit, firmum robur volentes habere in perpetuum. Vt autem hac inviolabili firmitudine in omne aevum roborentur, ſancimus, & regali auctoritate ſtatuimus, ut nullus Archiepiſcopus, Epiſcopus, Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, Capitaneus, Conſul, nulla Civitas, Poteſtas, nullum Commune, nullaque omnino perſona, humilis vel alta, ſecularis, vel Eccleſiaſtica, hanc noſtrae celſitudinis conceſſionem audeat infringere, vel ei aliquatenus contraire. Quod ſi quis facere attentabit, centum libras auri puri pro poena componat, medietatem Camerae noſtrae, & reliquam paſſis iniuriam.

Huius rei teſtes ſunt, Conradus Palatinus Comes. Ram. Comes. Albertus de Dasburc Comes. Simon de Sarebrucke Comes. Sibereus de VVercle. Octo de Huneburc. Artimanus de Budmgan. Curro de Mincembers. Gerungus de Heenrert, & alii quidam plures.

Signum Domini Henrici Sexti Romanorum Regis invictiſſimi.

Ego

Ego Dietherus Imperialis Aulae Cancellarius vice Conradi Maguntinae Sedis Archiepiſcopi, & Germaniae Archicancellarii recognovi.

Acta ſunt haec anno Dominicae Incarnationis MCXC. *Indictione* VIII. *Regnante Domino Henrico VI. Romanorum Rege glorioſiſſimo, anno Regni eius* XXI. *Datum apud Sutram V. Kal. Septembris.*

In Nomine Sanctae, & Individuae Trinitatis. Henricus ſextus divina favente clementia Romanorum Rex Auguſtus. Cum omnium fidelium petitionibus Regia maieſtas ſubvenire debeat, multo magis his eſt impertienda eius beneficii clementia, quos religionis praecipue exuberare facit gratia. His autem potiſſimum Regiae benignitatis noſtrae clementiam ſpecialius debemus impertiri, quibus ſincerae devotionis, & honeſtae converſationis intuitu Sereniſſimum Patrem noſtrum Fridericum Romanorum Imperatorem Auguſtum propenſiorem gratiae ſuae favorem impendiſſe dignoſcimus. Eapropter notum facimus univerſis Regni noſtri fidelibus praeſentibus & futuris, quod nos divinae mercedis intuitu, & fidelium noſtrorum interventu, Ildebrandi Vulterrani Epiſcopi, & Lanfranci Feſulani Epiſcopi, Tertio Vallumbroſanae Eccleſiae Praeſidente Abbate, cuncta Monaſteria Vallumbroſanae Congregationis ubicumque poſita, ſub noſtra regali tuitione ſuſcepimus. Statuimus itaque, ut nullus Archiepiſcopus, Epiſcopus, Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, nulla Civitas, nullum Commune, nulla Poteſtas, nulla denique perſona parva vel magna, vel ſecularis vel Eccleſiaſtica, praedicta monaſteria inquietare audeat, vel eorum poſſeſſiones, ſeu reliqua bona auferre, minuere, vel quoquo vexare praeſumat, ſed cuncta quae eisdem mo-

monaſteriis oblata ſunt, vel in poſterum offerre contigerit, vel quae aliis quibuſcumque modis iuſte acquiſita ſunt, ſeu in futuro poterunt acquiri libera, & quieta ſervorum Dei ſervitiis, & utilitatibus ſubiaceant. Praeterea regali noſtra auctoritate concedimus, & ſalva in omnibus regali iuſtitia confirmamus, ut quaecumque in praeſenti iuſte poſſident, vel in futuro poſſeſſuri ſunt, eisdem monaſteriis rata, & illibata permaneant, & nulla poteſtas, nulla perſona, nulla Civitas, nec Florentia, nec alia, fodrum aliquod, vel quamcumque exactionem ſive diſtrictum a ruſticis, vel converſis praedictorum monaſteriorum accipere praeſumat, vel exigere. Siquis autem huius regalis praecepti noſtri violator exſtiterit, ſciat ſe compoſiturum centum libras auri puriſſimi, medietatem noſtrae Camerae, & reliqua praedictis monaſteriis. Quae omnia ut firma in perpetuum, & inconcuſſa permaneant praeſentem paginam Sigilli noſtri impreſſione munitam roboravimus. Huius rei teſtes ſunt Thomas Abbas Sancti Salvatoris, Rudulphus Imperialis aulae Protonotarius, Petrus Praefectus urbis, Henricus Comes Dietae, Otto Frangeſpanem, Leo de Monumento, Ildebrandinus, Ioſeph, Henricus, Reſta Mareſcalcus, & alii quamplures. Signum Domini Henrici VI. Romanorum Regis invictiſſimi.

Ego Golephridus Imperialis aulae Cancell. vice Philippi Colonien. Archiep. & Italiae Archicancel. recognovi.

Acta ſunt haec Anno Dominicae Incarnationis MCLXXXVI. Indict. IIII. Regnante Domino Henrico VI. Romanorum Rege glorioſiſſimo anno Regni eius XVIII.

Dat. in Caſtro S. Miniatis Kal. Septem. feliciter. Amen.

Henricus ſextus Divina favente Clementia Romanorum Rex Auguſtus. Creditum nobis divinitus Regiae di-

dignitatis officium a noſtra Celſitudine poſtulat & requirit ut Eccleſiis Dei, & locis venerabilibus ſpecialem benignitatis noſtrae favorem clementer impertientes contra malignantium inſidias, ipſum patrocinium noſtrae tuitionis apponamus, & benefica eas munificentia reſpiciamus. Eapropter notum ſit univerſis Imperii fidelibus tam praeſentibus, quam futuris, quod nos pro ſalute animae noſtrae, & Parentum noſtrorum Monaſterium Sancti Salvii ſitum in Paratinul. cum Capella Sancti Nicolai & omnibus eius pertinentiis; Abbatem quoque Gibertum & omnes perſonas, in ipſo Monaſterio divinis mancipatas ac mancipandas obſequiis, cum hominibus ſuis bonis ac poſſeſſionibus quas in praeſenti habent, aut in poſterum iuſte & rationabiliter poterunt adipiſci in noſtram protectionem ac defenſionem recepimus. Ad haec ipſi monaſterio Abbati & Fratribus, atque eorum ſucceſſoribus in perpetuum concedimus & confirmamus omnia aedificia, quae ſive in flumine Arni, ſive in aliis aquis in ſuo proprio fundo habent, aut in futuro habebunt; ita ut nulli hominum liceat ſuperius ſive inferius aliquod opus conſtruere, quod monaſterio laeſionem ullo modo poſſit inferre. Ampliori quoque utilitati ipſorum providere volentes regia eis auctoritate concedimus, ut unum canale de flumine Arni per proprium ſolum ſuum ad monaſterium ſive ad alium locum ſibi congruum deducant, nulla ipſis obſtante contradictione; ad augmentum etiam Regiae benignitatis noſtrae praedictis Abbati, & Fratribus, ac eorum ſucceſſoribus concedimus ut in ſaepedicto flumine Arni & in omnibus aliis aquis, quae ſive per allodium, ſive iuxta allodium monaſterii decumbunt, quaelibet utilia ſibi aedificia conſtruant ſine tamen magno damno, & gravamine aliorum, nec ulli hominum ibi aedificare, vel reſtes aut molendinum ponere liceat ſine Abbatis, & Fratrum conſenſu. Pro hac autem maieſtatis noſtrae conceſſione prae-

nominati monaſterii Abbas, & Fratres unum Bizantium aureum annuatim Camerae noſtrae perſolverit. Vt igitur haec Celſitudinis noſtrae conceſſio, protectio, & confirmatio rata in perpetuum, & inconvulſa permaneat, praeſentem paginam conſcribi iuſſimus, & ſigilli noſtri impreſſione communiri. Statuentes & Regali edicto praecipientes, ut nullus Epiſcopus, Dux, Comes, Vicecomes, nullus Capitaneus, vel Valvaſſor, nulla Civitas, nullum Commune, nullus Conſul, nulla Poteſtas, nullus Civis, nulla denique humilis vel alta, ſecularis vel Eccleſiaſtica perſona, praememoratum monaſterium, Abbatem, vel Fratres, aut eorum homines, datiis, collectis, albergariis, angariis ſeu parangariis moleſtari audeat, vel quibuſcumque iniurarum calumniis attentare praeſumat. Siquis autem (quod abſit) huius regiae conſtitutionis noſtrae temeriarius violator exſtiterit, in ultionem tranſgreſſionis ſuae decem libras auri puri pro poena componat, dimidium Camerae noſtrae, reliquum paſſis iniuriam.

Huius rei teſtes ſunt Orlandus Abbas S. Michaelis de Podio Bonitii. Rodulphus Imperialis Aulae Protonotarius. Comes Robertus de Naſſovia. Federicus Dux de Riets. Robertus de Doma. Comes Guido. Conradus de Amera. Philippus de Bonlant. Guido & Orlandus Vicecomes de Ficiclo, & alii quamplures.

Datum apud Ficiclum per manum Rodulphi Protonotarii. Anno Domini MCLXXXVII. *Indictione* V. *Tertio Kalendas Maii feliciter. Amen.*

Henricus Dei gratia Romanorum Rex & ſemper Auguſtus. Divini amoris intuitu, interventu & precibus religioſi Viri Magiſtri Melioris Presbyteri Cardinalis, & Abbatis, & Monachorum Vallisumbroſae, praedictam

ſtam domum, & iuncta monaſteria ſuae Congregationis, tam in rebus, quam in perſonis, & nominatim Caſtrum Magnalis in noſtram tuitionem recepimus, & protectionem. Statuimus ergo & mandamus, ut nullus Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, nulla Civitas, nullum Commune, nulla Poteſtas, nulla denique perſona parva, vel magna praedicta monaſteria, vel eorum poſſeſſiones, & nominatim praedictum Caſtrum audeat inquietare, vel quamcumque exactionem a Converſis, Caſtellanis, & Villanis praedictorum monaſteriorum, accipere aliquo modo, vel exigere praeſumat. Siquis autem contrafacere auſu temerario attentaverit, bannum regium, & indignationem noſtram ſe noverit incurriſſe. Ad cuius rei evidentiam praeſentem paginam conſcribi, & ſigillo noſtro iuſſimus communiri.

Dat. Prati Anno Dominicae Incarnationis MCXCI. *Indictione* IX. *Duodecimo Kalendas Martii.*

In Nomine Sanctae, & Individuae Trinitatis. Henricus ſextus Divina favente clementia Romanorum Rex, & ſemper Auguſtus. Licet ad omnes Dei Eccleſias defenſionis noſtrae patrocinium univerſaliter debeat extendi, eas tamen ſinceriori favore decrevimus amplecti, quas ſpecialioris debitum fidelitatis ampliori devotione nobis obligavit. Noverit itaque omnium fidelium noſtrorum praeſentium ac futurorum induſtria, quod divini cultus amore, & pro remedio ac perenni ſalute animae noſtrae, ac ſucceſſorum noſtrorum, atque parentum ad imitationem quam inclitae memoriae Praedeceſſoris noſtri Friderici Divi Imperatoris, monaſterium Sancti Hillari Confeſſoris Chriſti, Alphianum antiquitus nominatum, & Abbatiſſam eius, omneſque Chri-

Chriſti Ancillas Deo ibidem famulantes praeſentes ac futuras cum perſonis omnibus , & poſſeſſoribus , boniſque univerſis ad ipſum iuſte pertinentibus intrinſecus , & extrinſecus ſub regularem noſtram protectionem ac Mundiburdium perpetuo recipimus , ac pacis & tranquillitatis perennitate feliciter perfrui Auguſtali hoc noſtro edicto iubemus , quamquam idem monaſterium ſpecialem ſacri Imperii noſtri Cameram eſſe , & peculiariter noſtrae diſpoſitioni attinere cognoſcitur . Vniverſa quoque , quae praenotatum monaſterium nunc iuſte poſſidet aut poſſidere de iure debet , vel in futurum Deo annuente acquiret , & nominatim quidquid iuris habet in Caſtro de Remulo cum Curte ſua in Eccleſia Sancti Mauri , quae in Pagnano cum pertinentiis ſuis , tam in terris , quam in aquis ; in Eccleſia de loco Peratule cum pertinentiis ſuis , in Monaſterio de Agnano , in Caſtro Baiorum cum pertinentiis ſuis , tam in terris , quam in flumine ; Decumano in Eccleſia de Valpajano cum pertinentiis ſuis tam in poſſeſſionibus quam in flumine ; Muſcae ; & poſſeſſiones quas habet in Curte de Rincinae , & in Curte ſancti Gaudentii , & poſſeſſiones quas habet in Rovirano , & in Parci , & in curte montis bonis , & poſſeſſiones ipſius monaſterii , quae ſunt in Curte montis Acuti , quod eſt iuxta Imam , & quod habet in Caſcia , & quod habet in terra de Parci ubicumque invenitur , & quod habet in Plebe Sancti Petri de Groppina , & quod in Curte de Colle ; in Curte de rivo Cacco , & quod habet in Sileruole in terra de Laſcialinga in Curte de Romena , & quod in Curte de Cona , & in Paterno , & Mercli in Plebe de Villamagna , & ea quae habet in Curte de Pelago in Ferrano , & in Pomino , & in Curte de Rignano , in Curte de Campi , in Curte de Riſtuncle , & de Magnale , & ubicumque de prae-

dictis

dictis monaſterii rebus ſeu poſſeſſionibus in Alpibus, vel in Montibus, ſeu in planitie reperirentur praeſenti Imperatoriae noſtrae maieſtatis reſcripto perpetualiter confirmamus, conroboramus, omni tempore valitura largitione munimus, atque ab omni Ducum, Marchionum, Comitum, Procerum, omnique aliorum maiorum ſeu minorum perſonarum illicita exactione libera, & abſoluta ſemper eſſe cenſemus, ac firmiſſime praecipiendo ſtatuimus. Ad haec praeceptali hac noſtrae Serenitatis pagina ſtatuimus ut poſſeſſiones univerſas eiusdem monaſterii a quibuſcumque invaſas, ſeu quantocumque tempore detentas iura, & eius omnia tam in terris, quam in aquis Abbatiſſa ipſius Eccleſiae vel per ſe, vel alium, omni temporis praeſcriptione remota, niſi centum annorum, libere repoſcere valeat, atque recuperare, omneſque ipſius coloni in dicto loco vel manentes, ſeu aſcriptarii nullam unquam iniuſtam exactionem aut aliquam iniuriam ſub alicuius diſtricti, ſeu placiti occaſione in perſonis vel rebus ſuis ab aliquibus patiantur. Flumina etiam, & ripas eorum in quibus a longo tempore Monaſterium illud conſuevit molendina, & alia aedificia conſtruere nemo ipſi audeat contradicere, aut aliquam iniuriam ei irrogare, vel aliquod ibi aedificium ſine Abbatiſſae licentia conſtruere. Item confirmamus praedicto Monaſterio confirmationes Sancti Mauri, quas Summus Pontifex eidem confirmaſſe legitur. Haec omnia ſaepedicto Monaſterio omni evorata, etiam firma iubemus permanere, ſalva in omnibus Imperiali noſtra iuſtitia. Siquis vero, quod abſit, huic perenni Noſtro edicto violator exſtiterit aut temerarie aliquo in tempore contraierit centum libras auri obrizi componat; medietatem Imperiali noſtrae Camerae, reliquum Eccleſiae ſupradictae, & hoc Noſtrum praeceptum in ſua ſtabilitate per-

permaneat. Vtque verius haec credantur, & ab univerſis inviolabiliter obſerventur, praeſentem paginam manu propria roboratam, Sigillo noſtro praecepimus inſigniri. Huius rei teſtes ſunt.

Modeſtus Patriarcha Aquileienſ.
Otto Phriſingen. Epiſcopus.
Praepoſitus Sigeleus.
Conradus Dux de Rethemburg.
Petrus Praefectus Vrbis Romanae.
Robertus de Aurone.
Henricus Teſta Mareſcalcus noſter.
Henricus Camerarius noſter de Luc.
Lotharius de S. Gemino, & } *Iudices Curiae*
Vgo Terdonen. } *noſtrae.*
Et alii quamplures.

Signum Domini Henrici Romanorum Regis invictiſſimi.

Ego Dieterus Imperialis Aulae Cancellarius vice Domini Philippi Colonen. Archiepiſcopi, & totius Italiae Archicancellarii recognovi.

Acta ſunt haec anno Domini MCXCI. *Indictione nona, regnante Domino Henrico ſexto Romanorum Rege glorioſiſſimo, anno Regni eius* XXII.

Datum Piſis per manum Magiſtri Henrici Imperialis Aulae Protonotarii IV. *Kalen. Martii feliciter. Amen.*

Henricus ſextus Dei gratia Romanorum Rex, & ſemper Auguſtus. Si Eccleſiarum Dei, & Eccleſiaſticarum perſonarum paci, & tranquillitati Regiae benignitatis ſincero favore clementer intenderimus, apud Regem Regum id nobis in aeterna beatitudine indubitanter profuturum ſperamus. Noverit itaque univerſo-

rum

rum Imperii fidelium, tam praeſens aetas, quam ſucceſſura poſteritas, quod nos ob ſpem perpetuae retributionis, monaſterium de Paſſiniano, Abbatem, & fratres omnes, ultra perſonas in eodem mancipatas, ſeu mancipandas obſequiis, cum Eccleſiis, hominibus, poſſeſſionibus, & bonis, quae vel nunc iuſte habent, vel in poſterum rationabiliter poterunt adipiſci, in noſtrae protectionis defenſione recepimus. Nominatim autem Caſtrum Paſſiniani cum curte, Caſtrum de Podio de Vento cum curte; Caſtrum de Montiniano cum curte; curtem de Monte Auro cum pertinentiis ſuis; curtem de Querce cum pertinentiis ſuis; curtem de Panzano cum pertinentiis; curtem de Sillano cum pertinentiis; curtem de Muzano cum pertinentiis; Xenodochium de Rufino; Xenodochium de Combiato; Abbatiam ſanctae Trinitatis de Alphiano. Haec ſiquidem ad praememoratum monaſterium de iure pertinent, & alia bona quae iuſte tenet, noſtrae univerſaliter volumus ſubeſſe tuitioni. Indulgentes eidem monaſterio, ut & opus molendinorum, & ea quae Chriſti fideles in teſtamento ipſi aſſignaverunt de rebus ſuis, vel in poſterum aſſignaverint, libere habeat & quiete, ita ut nec ulla Civitas, nec ullum Commune, nec ullus nuncius noſter, nec ulla parva vel magna perſona, in rebus vel bonis monaſterii aliquam deinceps faciat exactionem, ſalvo regali fodro. Siquis autem, quod abſit, praeſentem conſtitutionis noſtrae paginam temerario auſu infringere praeſumpſerit, decem libras auri optimi pro poena componat, medietatem Camerae noſtrae, reliqua paſſis iniuriam.

Datum Prati Anno Dominicae Incarnationis MCXCI. *Indictione* IX. *Vndecimo Kalen. Martii.*

Locus ✝ *Sigilli.*

Ego

Ego Rogerius quondam Belcarii Iudex ordinarius, & Notarius Imperiali auctoritate Iudex ordinarius, atque Notarius authenticum veteris Privilegii cum Bulla, in qua erat imago Imperatoriae maieſtatis filo pendenti vidi, legi, & quidquid in eo ſcriptum erat in hoc fideliter, & per ordinem transſcripſi, & exemplavi, ideoque ſubſcripſi.

Henricus Dei gratia Romanorum ſemper Auguſtus. Sinceritatem tuae fidei, Magiſter Gregori, quam operis adhibitio corroboravit diligentius, attendentes perſonam tuam, & monaſterium de Paſſiniano cum omnibus pertinentiis ſuis ad cuius regimen es aſſumtus ſub maieſtatis noſtrae protectionem recipimus, atque Privilegium fel. record. Friderici Imperatoris noſtri Genitoris, & quod ipſi monaſterio, antequam Diadema Imperiale noſtra Celſitudo ſuſciperet, fecimus, Imperiali auctoritate confirmamus; ſtatuentes, ut ſi quis contra hanc noſtram protectionem, aut confirmationem venerit, noſtrae indignationis iacturam ſe noverit incurſurum.

Datum Papiae ab Incarnatione Domini anno MCXCI. *Indictione* X. *Quinto kalen. Decembris.*

Locus ✝ *Sigilli.*

Ego Gregorius quondam Belcarii Iudex, & Notarius, Imperiali auctoritate Iudex ordinarius, atque Notarius, authenticum veteris Privilegii cum Bulla, in qua erat imago Imperatoriae maieſtatis ex filo pendenti vidi, & legi, & quicquid in eo ſcriptum erat in hoc fideliter tranſcripſi, & exemplavi, ideoque ſcripſi.

Hen-

Henricus Dei gratia Romanorum Imperator, & ſemper Auguſtus. Imperatoriae Maieſtatis noſtrae titulos creſcere credimus, & augere, ſi eos, qui ad gratiae noſtrae ſinum confugiunt, a pravorum hominum moleſtiis ſecuros reddimus, & penitus exemptos. Ad notitiam igitur praeſentium ac futurorum devenire volumus, quod nos fidelem noſtrum Gregorium Abbatem, & dilectum nobis Conventum de Paſſiniano, in ſpecialem Maieſtatis noſtrae protectionem recipimus; concedimusque atque confirmamus eis caſtella, curtes, & banna ſuorum hominum. Statuentes, & diſtricte praecipientes, ut nulla perſona alta vel humilis, eccleſiaſtica vel ſecularis, albergariis, ſeu aliis conditionibus, aut gravaminibus dictum Abbatem, & ipſius Eccleſiam moleſtare praeſumat. Quod qui facere attentaverit offenſam noſtram, & indignationem ſe noverit incurſurum. Indulgemus etiam praetaxato Abbati; & ipſius monaſterio, quatenus poſſeſſiones, quas ſeptuaginta annos ſine legali interruptione poſſederunt quiete habeant, ita ut nulli iudicium in centenariam hanc indulgentiam liceat ferre ſententiam, quam occaſione legis a Sereniſſimo Patre noſtro datae poſſet pronunciare.

Datum apud Lunam anno Dominicae Incarnationis MCXCIII. *tertio Idus Auguſti.*

Locus † *Sigilli.*

Ego Rogerius quondam Belcarii Iudex & Notarius Imperiali auctoritate Iudex ordinarius, & Notarius authenticum veteris privilegii cum Bulla, in qua erat imago Imperatoriae Maieſtatis filo pendenti vidi & legi, & quicquid in eo ſcriptum erat in hoc fideliter, & per ordinem tranſcripſi, & exemplavi, ideoque ſubſcripſi.

Otho

OTho quartus annis quatuor. Hunc Papa excommunicavit, quia abſtulit Apuliae regnum Regi Siciliae; & Fridericus coronatur, qui contra Othonem pugnans mirifice triumphavit (1).

(1) Edimus hic huius Othonis IV. Diploma, quo Piſanae Civitati ditionem ampliſſimam confert, & privilegia, ex apographo deſcriptum, quod in Riccardiana Bibliotheca adſervatur.

In Nomine Sanctae, & individuae Trinitatis. Otho Quartus Divina favente clementia Romanorum Imperator, & ſemper Auguſtus. Decet Imperialem excellentiam votis omnium, ac petitionibus fidelium ſuorum clementer annuere, & illorum praecipue quorum fides, & devotio circa ſublimationem Imperii & noſtram ita liquido reſplenduit, quod ipſorum praeclara, & honeſta ſervitia pro ſui multitudine, & magnitudine, aliis imitanda proponunt. Congruum etiam, & rationabile videtur nos eorum fidelibus obſequiis ex noſtra Imperiali largitione rerum, beneficiorum gratuita collatione ita gratanter reſpondere, quod huius noſtrae pietatis exemplo magis fidelium animos ad ſerviendum fideliter Imperio alacriter provocemus. Quanto enim potiora benemerentes, a nobis beneficia recipiunt, tanto maiorem Coronae noſtrae gloriam accreſcere credimus, & pervenire. Vnde quia univerſi cives Piſani noſtri fideliſſimi, & Imperio ſempér devotiſſimi, pro ſuis magnificis & multiplicibus ſervitiis, quae ad probationem & commendatio-

tionem fidei ſuae, inclitae memoriae praedeceſſoribus noſtris divis Imperatoribus Auguſtis, & Imperio frequentius exhibuerint, ampliorem dilectionis, & gratiae favorem apud noſtram maieſtatem ſibi theſaurizaverunt, omnium fidelium tam futurorum quam praeſentium gratas cognoſcat quanta benignitate, quam largiflua Imperiali munificentia Piſanorum merita merito perſpeximus, praeſertim cum per ſuam induſtriam & virium potentiam, honorem & gloriam Imperii, atque ſtatum Reipublicae ipſi prae caeteris glorioſe ſemper adauxerint, & ſemper augere propoſuerint. Quanta enim fidelitate, & probitate Piſana Civitas a prima ſui fundatione caput ſuum inter alias Civitates extulerit; quanta etiam conſtantia Divis anteceſſoribus noſtris Regibus, Romanis Imperatoribus, fideliſſime ſerviendo perſeveranter adhaeſerit, nos per multa ſcripta & relationes ſaepius audivimus, & ipſorum operum atteſtatione id ipſum luce clarius conſtat. Placet igitur noſtrae clementiae, ut Piſanus populus pro ſua fide & devotione honeſtiſſime de nobis ſemper accipiat emolumentum, ut eo faventior ad promovendum honorem Imperii ſemper exſiſtat, quo fidem & ſtrenuitatem patrum ſuorum honeſtis moribus, & perſpicuis virtutum operibus aemuletur. Inde eſt, quod Nos Otto Quartus Dei gratia Romanorum Imperator Auguſtus, damus & concedimus in feudum tibi Gottefredo iure Romano Poteſtati Piſanorum recipienti pro civitate Piſana totum quod praefata civitas, vel quaelibet perſona habet, & tenet de rebus Imperii, & totum quod Imperio pertinet, vel alio modo quoque, iure, vel conſuetudine, vel pertinuit retro ab octuaginta annis, vel pertinebit in civitate Piſana & eius diſtrictu per terras & inſulas, & concedimus & damus vobis in feudum Comitatum veſtro diſtrictui ſicut terram

& Procuratore Abbatis, Capituli, & Conventus eiuſdem Monaſterii, corporeo iuramento recepto, iure & nomine Abbatis, Capituli, & Conventus praedictorum, quod ab hac hora in antea fideles erunt eidem Domino Regi & Imperio, ſecundum formam debitae fidelitatis, auctoritate nobis conceſſa omnia iura, iurisdictiones, & regalia quae habent, tenent, & poſſident Abbas, Capitulum & Conventus dicti Monaſterii, vel alia perſona pro eis, ſeu praedeceſſores eius habuerunt, tenuerunt, & hactenus poſſiderunt in feudum olim a Divis Auguſtis, quae tamen ab ipſo, vel praedeceſſoribus ſuis alienata non eſſent in Tuſcia ubicumque, Caſtris, Oppidis, Burgis, Villis, Abbatiis, Hoſpitalibus, Capellis, Grangiis, & locis quibuſcumque, necnon Univerſitatibus, Collegiis, perſonis, poſſeſſionibus, honoribus, uſibus, patronatibus Eccleſiarum, terris cultis & incultis, aquis & aquarum decurſibus, molendinis, piſcariis, ſilvis, venationibus, montibus, planis, vallibus, paſcuis, iuſtitiis & rationibus ſingulis, ubicumque & in quibuſcumque conſiſtant, eidem Abbati iure & nomine Capituli, & Conventus ipſius Monaſterii de Paſſiniano, & de ſpeciali gratia, & ex certa ſcientia noſtra damus, concedimus, & etiam confirmamus, obedientia & reverentia Sedis Apoſtolicae, ac honore, & iurisdictione Imperii ſemper ſalvis, inveſtientes eumdem D. Procuratorem, & Syndicum pro parte Abbatis, Capituli, & Conventus praedicti Monaſterii per librum Sacrae Scripturae iure honorifici & recti feudi de omnibus & ſingulis ſupradictis, ita quod Abbas, Capitulum, & Conventus praedicti ea omnia habeant, & teneant, ac poſſideant pacifice & quiete ſine contradictione D. Regis, & Romani Imperii praedictorum, & alicuius perſonae parvae vel magnae, eccleſiaſticae vel ſecularis, Communis, Collegii, & Univer-

ver-

verſtatis, vel alterius cuiuſcumque. Siquis autem praedictam, vel aliquid praedictorum, violare, infringere, aut contradicere praeſumſerit, praeter indignationem eiusdem D. Regis & noſtram, quam eum vel eos, volumus incurriſſe poenam mille marcharum argenti, cuius poenae medietas fiſco, alia vero Monaſterio applicetur. In cuius rei teſtimonium & certitudinem pleniorem, praeſens privilegium publicari manu Donati ſubſcripti Notarii noſtri, & eidem Sindaco tradi fecimus noſtri Sigilli pendentis munimine, ac ſubſcriptione dicti Notarii roboravimus.

Datum in Arce S. Miniatis, praeſentibus D. Guidone de Suzzaria Legum Doctore. Religioſo viro D. Barone Abbate Monaſterii Montis Scalarii. D. Ioanne de Marconibus Iudice de Suzzaria. D. Conrado Iudice olim D. Ciampoli, & Davizo q. D. Michaelis de Fracaſſinis; teſtibus ad haec vocatis, & rogatis ſub anno Dominicae Incarnationis MCCLXXXII. XXIX. *Octobris* X. *Indictione, Regni eiusdem D. Regis anno* IX.

Loco ✠ *Sigilli.*

Ego Donatus Benci Ricoveri de Florentia Notarius publicus & familiaris dicti Domini Cancellarii, & Vicarii praedictum Privilegium de mandato dicti D. Cancellarii & Vicarii ſcripſi, & in publicam formam redegi.

POſt hunc vacat Imperium uſque ad annum Domini 1209. (1) . . . . . videns frangens lapidem, ut viam ampliaret reperit incluſum librum, & nulla penitus in la-

lapide erat vena ſciſſurae, & charta erat quaſi lignea, & littera Graeca, Latina, & Ebraea, quantitatis unius Pſalterii; & narrabat tres hominum differentias & mores ab Adam uſque ad Antichriſtum, quaſi tres mundos; & in principio tertii mundi, dixit: Filius Dei naſcetur, & patietur pro ſalute mundi, ex Virgine Maria; propter quod videns, cum omni domo ſua converſus, baptizatur. Et dicebatur in eo, quod tempore Ferrandi regis Caſtellae, deberet inveniri (2). Hoc tempore Henricus Rex Daciae (3) inclitus, a fratre ſuo iuniore Abel, in mari ſuffocatur; & ſic regnum adſequutus Dacorum, ſequenti anno bello perimitur. Tempore huius vacationis, Conradus filius Frederici in Apuliam devenit, & ibi capta Neapoli, muros eius deſtruxit, & infirmatus, veneno interiit, poſito in cryſtallo.

(1) Ipſe arbitror legendum 1309. ſeu potius 1308. quo anno Henricus Luxemburgenſis electus eſt, qui a *Leone* noſtro certus & verus, ut videtur, Imperator habitus eſt, poſt Fridericum II.

(2) Commentum.

(3) Hoc eſt Daniae, conſule *Chronicon Pontificum Leonis* noſtri.

In

IN Tuſcia anno Domini 1260. Florentini, Lucani, cum multa factione Tuſcorum, quum intraſſent comitatum Senenſem; Senenſes freti auxilio Manfredi, in eos irruentes, & ipſi Florentini a ſuis proditi, miſerabilem habuerunt conflictum (1). Hoc etiam tempore a Bohemis Hungari ſuperati fugientes in fluvium circa quatuordecim millia perierunt.

(1) Huc adluſit *Dantes Cant. X. Infern.*
. . . . lo ſtrazio, e il crudo ſcempio
Che fece l' Arbia colorata in roſſo.
Conſule *Io. Villanium Lib. VI. Cap. LXXX.* & *Platinam* in *Alexandro IV.*

ANno Domini 1264. cometae valde notabiles adparuerunt, & ultra tres menſes duraverunt.

ANno Domini 1265. Carolus, qui vocatus fuerat a Papa Vrbano, in Apulia cum Manfredo pugnans, eum vita privavit, & regno.

ANno Domini 1266. Saraceni convenientes contra Hiſpanos, poſt mare tranſitum, Hiſpaniam, ut olim, recuperare vo-

lebant, ſed convenientibus undique Chriſtianis, victi ſunt Saraceni.

ANno Domini 1267. Soldanus cepit Antiochiam, & ipſam in ſolitudinem redegit, occiſis, & captis omnibus, & vaſtata Armenia.

ANno Domini 1268. Conradinus nepos Friderici, filius Conradi, adiunctis ſibi Tuſcis, (1) Teutonicis, & Lombardis, contra Carolum in Apulia pugnavit, prius Romae Imperiali more receptus; ſed victus apud Taliacozum, cum pluribus decollatus eſt nobilibus (2). Hoc etiam tempore (3) Rex Francorum ſanctiſſimus, Ludovicus contra Saracenos in Africam proceſſit, cum tribus filiis; ſed infirmitas, quae illo anno invaluit, primo unum filium Regis, deinde Regem, & poſterius Legatum Domini Papae Dominum Albanenſem de medio ſuſtulit, Rex vero in ultimo ſpiritu conſtitutus, dixit: *Introibo in domum tuam*, & cetera; & elevatis oculis exſpiravit. Hic poſt coruſcans miraculis, a Papa Bonifacio octavo ſolemniter canonizatur. Rex vero Carolus, pro quo miſerat frater ſuus Rex Franciae, ad exercitum Chriſtia-

ſtianorum pervenit; unde Saraceni timentes, fecerunt cum Chriſtianis pacta, ut Chriſtiani poſſent in urbe praedicare, & quos vellent baptizare; & ſolutis expenſis, quas Rex fecerat, Rex Tunici factus eſt tributarius Regis Siciliae; & omiſerunt ulterius procedere, quia eis adverſa contigerant; ut de obitu Regis, & Filii, & Legati, & Patriarchae Terrae Sanctae, & tandem Regis Navarrae. Et Eccleſia tunc vacabat; & Rex Navarrae in Siciliam delatus obiit.

(1) Inter hos Piſani fuerunt, quare Conradus II. Siciliae Rex hoc eodem anno ampla privilegia Piſanis conceſſit, ut patet ex ſequenti Diplomate, cuius αὐτόγραφον in Bibliotheca Riccardiana adſervatur.

Conradus Secundus, Dei gratia Hieruſalem, & Siciliae Rex, & Dux Sueviae, ad perpetuam rei memoriam. Decet Regalem excellentiam, votis omnium, ac petitionibus ſuorum fidelium, clementer annuere, illorum praecipue, quorum fides, & devotio circa ſublimationem Regni noſtri, & noſtram, ſic liquido reſplendent, quod ipſorum praeclara, & indefeſſa ſervitia, prae ſui magnitudine, aliis imitanda proponuntur, & ex beneficiorum gratuita collatione, ita gratanter reſpondere, quod huius noſtrae conceſſionis exemplo, minus fidelium animos ad ſerviendum fideliter Maieſtati noſtrae alacrius provocemus. Noverit igitur praeſens aetas, & ſucceſſiva poſteritas, quod nos Conradus Se-

cun-

cundus, Dei gratia Hieruſalem, & Siciliae Rex, & Dux Sueviae, ex certa ſcientia damus, & concedimus vobis Bartholomaeo de Goppo praeſenti Poteſtati, & Anſelmo de Rivola Capitaneo, & Antianis Piſani populi recipientibus pro communi Piſano, & vice, & nomine ipſius Communis, quod homines Civitatis Piſarum, & diſtrictus ipſius, & qui Piſano nomine cenſentur, & ſecuri cum perſonis, & rebus, ſani & naufragi in toto Regno, & diſtrictu noſtro, & aliis terris noſtris. Et quia per Nos, vel homines Regni noſtri, & aliarum noſtrarum terrarum, non fiat offenſio ſupradictis, in perſonis, vel rebus; & quod ſi offenſio fieret, vel damnum daretur, vel datum eſſet, reparabitur in priſtinum ſtatum, infra breve temporis ſpatium facta cognitione ſummarie, in praedictis Regnicolis, & aliis hominibus terrarum noſtrarum, quas habemus nunc, vel habebimus in futurum; fidelibus noſtris eadem conditione gaudentibus in Civitate Piſarum, & ipſorum diſtrictu. Et quod ſi aliquis de terris vel iurisdictione noſtra offenſum fecerit alicui Piſarum, fiet inde vindicta per Nos, vel officiales noſtros, in perſonis delinquentium, infra breve temporis ſpatium, ſecundum criminis qualitatem, poſtquam conſtiterit ſummarie de criminis qualitate. Regnicolis noſtris ſimili conditione utentibus apud eos. Et quod naufragi, de eorum rebus, & mercibus nullum directum ſolvere teneantur. Et quod res & merces ipſorum, ſeu de ipſis rebus & mercibus occupari vel capi non poſſint ab aliquo ratione aut occaſione ſtadichi, vel alia, ſed occupatae reſtitui debeant integre, & ſine alicuius dilationis vel exceptionis obſtaculo; & ad hoc occupantes totis viribus, ſine aliquo ſtrepitu iudicii compellantur. Et quod homines Sardiniae Piſani, Aconis, & totius Syriae, & Conſtantinopolis, & totius Romaniae, &

qui

qui Piſano nomine cenſentur, & omnes alii undecumque ſint, vel eſſent, & qui cenſerentur vocabulo ſeu nomine Piſanorum, intelligantur eſſe, & ſint de diſtrictu Piſarum; de quo utrum ſint Piſani, vel de Piſano diſtrictu, vel qui Piſano nomine cenſeantur, vel non, eſſent fidei & verbo ſimplici Conſulis Piſanorum illius terrae, in qua fieret expeditio, & ſui conſilii, vel maioris partis, ſine onere alicuius ſacramenti, ſeu alterius probationis, vel praeſumptionis. Quod ſint amodo in toto Regno & diſtrictu noſtro liberi & immunes ab omni datio, & preſſatione, ſeu exactione, quocumque nomine cenſeantur, tam in perſonis, quam rebus, & mercationibus eorum, intrando, ſtando, & exeundo; ſalvo quod pro diričtu curiae de rebus, & mercibus, & mercationibus, ut ferro laborato, quas ipſi Piſani, ſeu de diſtrictu Piſarum, aut qui Piſano nomine cenſentur, ut dictum eſt, vel duxerint, vel miſerint de Piſis, ſolvere debeant; patroni videlicet navium, vel lignorum, pro Mercatoribus & eorum mercationibus, de toto carico navigii vel ligni ſchifatum unum auri, qui eſt Tareni octo auri, ſemel tantum in illo videlicet portu vel terra, ubi exonerabitur ipſa navis vel lignum; ita etiam quod de una terra ad aliam, & de uno portu ad alium, dictum caricum, ſeu de ipſo carico ferri, ſeu mitti poſſint, ſive in eiſdem navigiis, aut vaſis, ſive aliis, pro deferentium arbitrio voluntatis, per mare ſive per terram, tam in Regno, quam extra Regnum, & propterea non ultra ſolvantur. Si vero dicti Piſani, ſeu de Piſano diſtrictu, aut qui Piſano nomine cenſerentur, ut dictum eſt, res & merces, ſeu mercationes aliquas, & maxime ferrum laboratum, aliunde quam de Piſis reduxerint, vel miſerint per mare, vel per terram, aut pelagum ad aliquam partem ſeu terram Regni, aut diſtri-

ſtrictus noſtri ſolvere debeant grana quinque auri tantum per quodlibet centenarium Tarenorum auri valoris ipſarum rerum, & mercium, & mercationum, & maxime ferri, ſi eas vendiderint in ipſa terra Regni, ſicubi applicuerint cum ipſis rebus, & mercibus. Ita quod ſi eas ibi non vendiderint, aut vendere noluerint, liceat eis ſine impedimento aliquo, ſive in eodem ligno vel navigio, ſive alio, ſive per terram, res & merces ipſas, & ſpecialiter ferrum laboratum deferre quocumque voluerint, ſive ad aliam partem Regni, ſive ad alias quaſcumque partes, non ſolvendo inde diriſtum aliquem, vel toloneum, vel palliariam, vel paſſadium, aut quamcumque aliam exactionem, quocumque nomine appelletur; dummodo ubi fiet venditio ipſarum rerum, & mercium, & ferri, ibi cogantur ſolvere ipſum diriſtum, & non alibi; ut nonniſi ſemel tantum de eiſdem rebus, mercibus, & ferro ſolvere compellantur; qui diriſtus, facta venditione praedictarum rerum, mercium, & ferri, quas Piſani praedicti reduxerint, vel miſerint, ut dictum eſt, ſolvatur, & non ante, videlicet pro rebus, & mercibus, & ferro venditis. Si autem Piſani praedicti, ſive de Piſis, ſive aliunde reduxerint, vel miſerint ad aliquam partem, ſeu terram noſtram, & Regni noſtri, ſalem, ſeu picem, acciarium, & ferrum non laboratum, ſolvere debeant, pro diriſtu curiae, pro quolibet centenario Tarenorum auri ipſorum ſalis, picis, acciarii, & ferri non laborati, Tarenos duos auri tantum; ſi res ipſas in terra noſtra vendi contigerit, facta venditione rerum ipſarum, & non ante; & ſi ibi non venderentur, aut vendi non poſſent, vel nollent, liceat ipſis Piſanis eas deferre ad aliam quamcumque partem Regni noſtri, ſive ad quaſcumque alias partes, ſine aliqua driſtura inde ſolvenda, pro eorum ar-

arbitrio voluntatis ; ita etiam quod emptor , vel emptores earum rerum , vel alicuius earum , diriċturam aliam , ſive exaċtionem ſolvere , vel praeſtare curiae , inde non teneantur : & quod de ipſis ſale , pice , acciario , & ferro , & quibuſcumque aliis rebus , & mercibus , Piſis reducendis , & mittendis ad terram Regni , quominus libere emantur , & vendantur , nullum interdiċtum faciemus vel fieri faciemus , Nos , aut curia noſtra , vel noſtri officiales , ſeu aliquid aliud , emptioni , vel venditioni contrarium , vel nocuum , & nullam aliam diriċturam , ſeu Teloneum , vel Palliariam , Scariam , vel Fundacagium , ſeu Scalaticum , ſeu exaċtionem quamcumque aliam , quocumque nomine appelletur . Omnes naves , & ligna Piſanorum , & qui Piſano nomine cenſentur , vel cenſebuntur , aut cenſerentur , quae applicuerint ad aliquam partem , ſeu terram Regni noſtri , ſolvere debeant pro diriċtu , Anchoragionis videlicet , ſi navis vel lignum fuerit de duabus gabbiis , medium Auguſtarem auri tantum ; & ſi habuerit unam gabbiam , tantum duos Tarenos auri ; & lignum quod gabbiam non habuerit cum cuperta , unum tarenum auri tantum , & nihil aliud neque plus , quacumque ratione vel cauſa , & maxime occaſione falangagni , ſeu portus , vel fanarii , ſive quaecumque alia occaſione . Piſani in tota Sicilia , Calabria , Apulia , Terra Laboris , & Principatu , & qualibet alia terra , & loco noſtro , poſſint libere , & ſine impedimento aliquo emere , vel acquirere totum coriamen , ſeu coria cuiuslibet ſpeciei , vel materiei , totum pellamen , caſeum , carnes ſalatas , & non ſalatas , & animalia , cotonem filatum , & non filatum , oleum , fruċtus ſiccos & recentes , vinum , linum , ſartiam laboratam & non laboratam , ſetam laboratam & non laboratam , lignamen laboratum & non

 la-

laboratum, & omnia alia opera laborata, & generaliter omnes alias res, & merces, quocumque nomine appellentur; & quod praedicta, omnia, & ſingula, ſalvis his quae exceptata ſunt, & ſalvo eo, quod infra dicitur, de tracta frumenti ad opus Piſarum Communis, Piſani poſſint libere de Regno extrahere & exportare ad quaſcumque partes voluerint, ſolvendo pro dirictu ipſarum, & mercium, tam ſpecificatarum, quam aliarum, grana quinque auri tantum, pro quolibet centenario tarenorum auri valoris ipſarum, & mercium, in illa videlicet terra, vel portu, ubi dictae res & merces fuerint oneratae, pro exportando de Regno praedicto; ſalvo tamen & intellecto in praedictis omnibus, quod Piſani nihil ſolvere teneantur pro dirictura, vel alio modo, de his quae reducerent, vel amitterent, pro concia ſuarum navium, vel lignorum, videlicet ferro, pice, & ſtuppa, & aliis neceſſariis pro ipſa concia vel refectione. Et ſalvo, quod Piſani de rebus & mercibus, quas emerint vel acquiſierint in Regno, revendendis in eadem terra, qua emerint, vel acquiſierint, ſive alia, nihil ſolvere teneantur. Nullus alius dirictus, aut pedagium, vel teloneum, aut exactio, quocumque nomine appelletur, ſoluto dicto dirictu granorum quinque auri tantum pro quolibet centenario tarenorum auri, de rebus emendis, vel vendendis, ut ſupra ſcriptum eſt, ſive pro ripa, fundacatu, dobana, ſive menſuris, aut exitura, ſive oreſcia, aut palliaria, ſive ſcalagio, vel caſatico, vel alia quacumque occaſione, vel ratione, quae dici, vel excogitari poſſit, peti, tolli, vel exigi poſſit ullo modo, nec aliquis Piſanus res, aut merces ſuas, quas vendiderit, vel emerit, aut vendere voluerit, ponere, vel amittere cogatur, vel teneatur in aliqua dobana, vel fundacatu; ſalvo quod de ponderatura mercium, quae ven-

den-

dentur, vel ementur, ad cantarium ſolvere debeant Piſani uſque ad granum unum auri per quodlibet cantare, quod vendetur, vel emetur, & non plus; & ſi non ponderarentur, nibil inde ſolvere teneantur; & ſalvo quod Piſani ſuas ſtateras habere poſſint, pro ponderandis eorum mercibus & rebus, in aliquibus lignis aut navibus onerandis; ex quibus, vel quarum ponderatione, nihil ſolvatur; & ſalvo quod ſi aliquis Piſanus ſuas res aut merces non vendiderit, aut vendere noluerit, ex inde nihil ſolvat, ſed eas poſſit libere exportare, ut ſuperius continetur. Item quod officiales, & Baiulivi noſtri, qui pro tempore propoſiti fuerint dictis introitibus, dirictibus, & proventibus percipiendis & exigendis, Piſanis, qui praedictum dirictum ſolverint, vel ſolvi fecerint, vendendo & emendo, ut ſuperius eſt expreſſum, apocham, vel apochitiam patentem eorum ſigillo munitam, ſine mercede, vel pretio, aut exactione aliqua, illico tradere teneantur; in qua contineatur expreſſim nomen, & pronomen Piſani, qui dirictum ipſum perſolverit, aut perſolvi fecerit; & pro quibus, & quot rebus & mercibus, ut exinde amplius ab aliis inquietari, exigi, vel moleſtari non poſſit. Item quod Piſani in Regno, & toto diſtrictu noſtro non impediantur vel moleſtentur, aut exigantur de cetero perſonaliter, vel realiter, ex obligatione alterius vel offenſa. Et hoc etiam capitulum, in praeteritis negociis vendicet ſibi locum. Item quod Communi Piſano, & Piſanis ſingulis, dimittantur a nobis omnes domus, terrae, poſſeſſiones, & loggiae, honores, & iura, quas, & quae ipſi Commune Piſanum, & Piſani habere conſueverunt, in Meſſana, Panormo, & omnibus aliis terris Regni; & maxime omnes terrae, domus, & poſſeſſiones, & mare, quas, & quae Piſani aliquo tempore poſſederunt;

 vel

vel uſi fuerunt, ſine aliquo cenſu, vel redditu; & quod ipſis Piſanis conceditur a nobis terra ſine domo, vel cum domo ſuperpoſita ex latere praedictae loggiae de Meſſana verſus Avanellam; quae Avanella pertenditur recta linea uſque ad mare, & ſit larga per duodecim palmos menſuratorios cannae. Et quod conſtituantur Communi Piſano, & Piſanis civibus omnes redditus, & proventus, percepti ex ipſis mercaturis, domibus, & poſſeſſionibus, a tempore diſceſſus Piſanorum de Regno citra, ex inhibitione contra eos facta per Carolum Provinciae Comitem. Et ſi qua de eis a quacumque perſona, ſeu loco detenta, vel invaſa, aut occupata eſſent, nos ea reſtitui integre faciemus, ſine aliqua quaeſtione, & iudicii ſtrepitu; & quod nullus Piſanus de ipſis vel pro ipſis poſſeſſionibus gravetur, vel moleſtetur, ſeu exigatur aliquibus datiis, vel collectis, ſeu praeſtantiis, aut ſervitiis realibus & perſonalibus, aut pro aliqua mora ab eo facta, vel facienda in Regno occaſione mercationis faciendae. Item quod Piſani ubicumque, & in quibuſcumque terris, aut locis Regni haberent Conſulem, ſeu Conſules, poſſint, & debeant habere loggias, prout habent in aliis partibus, in quibus ſunt loggiae Piſanorum, vel habere conſueverunt. Item quod ad voluntatem Conſulis, & Conſilii Piſanorum de Meſſana, reficiamus loggiam eorum Meſſanae in eo modo forma & ſtatu, bonitate pulchritudine & ornamento, quibus erat iſta loggia tempore ſuae deſtructionis, quae refectio fiat expenſis curiae noſtrae; & idem fiat de loggia Trapani. Et inſuper concedimus Piſanis quoddam aedificium Turrionis ad curiam pertinens ex latere dictae loggiae verſus beccariam conſtruendum, & aedificandum expenſis Curiae noſtrae, ad voluntatem Conſulis & conſilii Piſanorum, vel maioris partis eorum dictae terrae. Et etiam Piſanis concedimus totam terram noſtram, via mediante, quae eſt

extra

extra dictum Turrionem, vel ex oppoſito ipſius Turrionis verſus cortinam, ſuper qua ſunt tres vel quatuor Apotbecae, pro faciendo ſuper ipſam terram unam Eccleſiam nomine dictorum Piſanorum, quae fiat expenſis curiae noſtrae. Item quod loggiam Piſanorum in Panormo, quae de novo fuit incepta, & poſtea diruta, ibi ubi incepta fuit reaedificabimus, & faciemus, & fieri faciemus, eo modo forma & bonitate, quibus placuerit Conſuli, & conſilio Piſanorum, vel maiori parte eorum dictae terrae, expenſis curiae noſtrae, & quod nova loggia pro Piſanis fiat expenſis curiae noſtrae Ghergenti, ſeu Agrigento, ad voluntatem Conſulis & conſilii Piſanorum, vel maioris partis eorum ipſius terrae, & ibi ubi ipſis placuerit; & idem faciemus in Leccata & Terranova. Loggiam & fundacum Piſanorum de Neapoli reſtituimus & concedimus & damus Piſanis, expenſis noſtrae curiae reaptandam, ad voluntatem Conſulis, vel conſilii Piſanorum, vel maioris partis eorum ipſius terrae. Eccleſia etiam S. Petri, quae eſt prope, vel iuxta dictam loggiam, aedificetur vel elevetur ſuper columnis expenſis curiae noſtrae, ad voluntatem dictorum Conſulis, & conſilii, vel maioris partis eorum; & quod dictum fundacum ematur per curiam noſtram a nobilibus de Brancacciis, vel aliis quorum eſſet, vel dabimus, inde eis ſalvum reſtauratum a curia noſtra, & poſtmodum concedimus Piſanis; & etiam concedimus Piſanis fundacum de Capella, in quo morantur, & ſtant Buctarii prope praedictum fundacum, & domum Praedicati cum omnibus eorum . . . . . uſque ad mare; & a nobis emetur ab illis, quorum eſſet, vel dabitur inde eis ſalvum, reſtauratum a curia noſtra, & poſtmodum ex nunc concedimus Piſanis, ut dictum eſt. Et inde fundacum expenſis noſtrae curiae faciemus. Item quod in Brunduſio pro Piſanis fiat expenſis curiae noſtrae una

 log-

loggia honorabilis, ibi, ubi conceſſa fuit eis, per Dominum Regem Conradum Genitorem noſtrum, ad voluntatem Conſulis, & conſilii Piſanorum ipſius terrae vel maioris partis eorum; & poſt ipſam loggiam fiat expenſis curiae noſtrae unum decens, & bonorabile hoſpitium, pro babitatione ipſius Conſulis, & conſilii, vel maioris partis eorum; & quod Piſani in qualibet terra Regni, in qua eſſent aliqui Piſani, poſſint habere Conſulem, vel Conſules de ſe ipſis, qui babeant iuriſdictionem civilem, & criminalem, excepto quod de ſanguine in Piſanos, & qui Piſano nomine cenſentur; ita quod ipſi Piſani, & qui Piſano nomine cenſentur, ad aliam curiam trabi & conveniri non poſſint, praeterquam de ſanguine, a quorum ſententiis adpellari non poſſit; nec ipſae ſententiae infringi poſſint remedio nullitatis, vel alio quocumque beneficio aptentur; item quod de bonis Piſanorum defunctorum, & eorum qui Piſano nomine cenſentur, Officiales Curiae noſtrae nullatenus intromittere ſe debeant, ſed Conſulibus Piſanorum, & Piſanis ipſis liberaliter relinquantur, niſi bona defuncti, ex aliqua iuſta, & manifeſta cauſa fuerint noſtrae curiae obligata; ſi vero in ipſa terra, Piſani Conſulem, vel Conſules non baberent, & tunc bona ipſa, alicui, vel aliquibus Piſanis, civibus fidelibus, qui in terra ipſa eſſent, debeantur, ut praedictis, ſcriptura publica interveniente, aſſignari cuſtodienda, pro ordinibus defunctorum. Item, quod occaſione alicuius mandati, ſeu ordinationis, vel diſpoſitionis, quod, vel quam nos generaliter, vel ſpecialiter faceremus, de exigenda in Regno aliqua datia, vel collecta, & curſu novae monetae, de eiſdem datia, & collecta, & nova moneta, vel eius curſu, Piſani, videlicet tam illi, qui de Piſis, & diſtrictu eius ſunt, quam illi, qui Piſano nomine cenſentur,

non

non graventur, vel moleſtentur; niſi ſecundum privilegii praedicti tenorem. Et ſi quaeſtio aliqua moveretur contra Piſanum aliquem, ſeu de Piſano diſtrictu, vel contra aliquem Piſanum, Sardiniae, Aconis, totius Syriae, ſeu Conſtantinopolis, vel totius Romaniae, aut contra aliquem, qui Piſano nomine cenſeretur, aut contra alios, vel alium undecumque eſſent, qui cenſeretur vocabulo, ſeu nomine Piſanorum, aut contra aliquem, qui ſe diceret Piſanum, vel de vocabulo Piſanorum, vel qui Piſano nomine cenſeatur, ſtetur inde fidei Conſulis Piſanorum ipſius terrae, & ſui conſilii, vel maioris partis eorum, dicentium, quod Commune Piſanum reputet illum, contra quem huiuſmodi quaeſtio fiet, Piſanum; ſi vero, in eadem terra, ubi huiuſmodi quaeſtio referetur, Piſani Conſules non haberent, ſtetur inde fidei, & verbo ſimplici, ut dictum eſt, conſilii, vel Conſulis, & ſui conſilii, vel maioris partis eorum, morantium, vel morantis in viciniori bus terris, vel locis. Item cum occaſione delicti, quod tempore Caroli Provinciae Comitis, & ſuorum Officialium in Panormo poſitorum, Piſanos dicitur commiſiſſe, ipſi Piſani fideiuſſoriam cautionem quorundam Burgenſium de Panormo praeſtiterint curiae dicti Caroli, vel Officialibus ſuis de parendo mandatis ſuis, & condemnatione ſolvenda, & propterea ipſi Burgenſes condemnati fuerint per curiam dicti Caroli, vel eius Officiales in certa pecunia, vel auri quantitate, aut bonis ſuis; & ipſam condemnationem perſolverint; Nos de bonis curiae noſtrae, aut de introitibus dohanae de Panormo ipſam condem nationem, & pecuniam propterea exactam eis reſtitui faciemus, de qua reſtitutione ſtetur probationibus, vel praeſumptionibus, aut inditiis dictorum Burgenſium, vel ſufficiat eos probare praedicta per famam publicam, & ſufficiat iſta probatio

tamquam legitima : & praedicta reſtitutio fiat ad petitionem, vel inquiſitionem Conſulis Piſanorum de Panormo ; & bona eorum, & poſſeſſiones expenſis curiae refici debeant ; & idem ſervabimus in omnibus aliis terris noſtris, in quibus ſimilis caſus eſſet. Et quod etiam faciemus reſtitutionem Piſanis, qui ſoluerunt aliquam pecuniae ſummam curiae dicti Caroli ; vel Officialibus ſuis, quod ſufficiat, ut ſuperius continetur. Et quod integre, ſine quaeſtione aliqua, & iudicii ſtrepitu, Piſanis derobatis in quacumque parte vel partibus Regni, tam per mare, quam per terram, a quocumque vel quibuſcumque, ſive officialibus ſive privatis perſonis, tempore Caroli, & quocumque alio tempore, ab univerſitate vel univerſitatibus terrarum, ubi derobati fuerunt ; reſtitui faciemus infra quadraginta dies, ex quo ipſae univerſitates ad manus & dominium noſtrum pervenerunt, & per litteras noſtras eis fuerit denunciatum, & adhuc Vniverſitates ipſas totis viribus, auctoritate noſtra compellimus, quas derobationes probari ſufficiat, vel de eis conſtet, ſive per teſtes inde productos, vel producendos afferentes plenam probationem, aut ſemiplenam, ſeu praeſumptiones, vel iudicia, aut probari ſufficiat per famam publicam tantum, & ſtetur ipſi probationi ſicut legitimae, cum iuramento perdentis, vel perdentium, aut ſuorum haeredum, vel habentium aliquod ius ab eis ; & poſſit ipſa probatio induci coram Piſanorum Poteſt. vel eius Iudice, nec contra ipſam probationem de facto, vel de iure aliqua quaeſtio referatur. Et ſimiliter probationes, aut praeſumptiones iam factae coram Piſanorum Poteſtate, vel eius, Iudice praedicto modo, ſuper praedictis, pro legittimis habeantur. Et idem conſimile obſervetur in aliis quibuſcumque dare debentibus, ex quacumque cauſa, Piſanis civibus quaſcumque pecuniarum quantitates, ut niſi fieret ab eis reſtitutio, univerſitates ipſorum omnes teneantur pro eis ad ſolutionem eamdem. Et concedimus, &

da-

damus vobis pro Com. Piſano, & Com. Piſano, in Regno Siciliae terras Trapani, Marſare, & Saleme; & in Principatu terram & inſulam Iſchiae cum caſtro Gironis, & pertinentiis ſuis; & in Calabria terram Cotronis; & in Apulia terram Manopolis, & inſulam Maltae, cum omnibus eorum hominibus, tenimentis, territoriis, iurisdictionibus, portubus, littoribus, & marinis, honoribus, proventibus, & iuribus omnibus, & praeſtationibus realibus & perſonalibus, ad Nos & curiam noſtram pertinentibus, in ipſis terris, & qualibus earum, tenendas, poſſidendas, gubernandas, uſufructuandas, aedificandas, & munitiones ibi faciendas pro voluntatis arbitrio Piſani Comm. per Commune Piſanum in perpetuum. Ita quod ipſae terrae ſint liberae, & exemtae ab omni iurisdictione & regimine & collecta noſtra & noſtrorum Officialium. Dummodo Commune Piſanum annuatim exinde Nos, & noſtros haeredes recognoſcat nomine cenſus in unciis centum auri; & ita quod per nos vel Officiales noſtros aut heredes dictis terris & hominibus vel aliquibus ex eis nulla probibitio vel interdictum, vel divietum fiat vel fieri poſſit; ſeu novitas aliqua in praeiudicium iuris eorum & Piſanorum. Et ſi aliquo modo fieret revocetur, & in ſtatum priſtinum reponatur ad voluntatem Conſulis Piſanorum illius terrae in qua ipſa novitas, vel prohibitio fieret. Item de ſpeciali gratia concedimus Com. Piſano in perpetuum annuatim per ſuum ſpecialem, vel ſpeciales nuntios ſine praeſtatione alicuius diricturae, vel exactionis, & maxime dobanae exportare & extrahere pro ſuae voluntatis arbitrio de quacumque vel quibuſcumque aliis partibus Regni Siciliae. Ita quod de qualibus alia terra, de qua ipſi nuntii voluerunt poſſit extrahi, quantum eidem nuntio vel nuntiis placuerit uſque ad complementum infraſcriptae ſummae ſalmas decem millia frumenti; Et de iis Baiulivis & Iuſtitiariis, & Officialibus noſtris qui fuerint in Regno Siciliae mittemus ad acquiſitionem

nam nuntii, vel nuntiorum Piſanorum noſtras praeceptorias & efficaces litteras. Et quod Officiales, Baiulivi, Dobanerii, & Teudacharii, & alii omnes, qui praeſunt diriċtibus & introitibus exigendis pro curia noſtra, iurent praedicta omnia, & ſingula fideliter obſervare, & contra non venire, vel facere ullo modo, ut quilibet contrafaciens quoties contrafieret uncias centum auri nomine poenae curiae noſtrae ſolvere compellatur, & nihilominus praedicta obſervare teneatur. Item ſi Commune aliquod, ſive aliqua Vniverſitas maiorem, ſeu plenam immunitatem, gratiam, vel libertatem, ſive conceſſionem quandocumque haberent a nobis, ſeu iam habuiſſent, Piſani ſimili gratia, & immunitate fruantur in terra & Regno noſtro. Et quod ſiquid de praedictis conceſſimus alicui perſonae, vel loco, vel Vniverſitatibus fiat revocatio. Et nos ex nunc ex certa ſcientia per hoc praeſens conceſſionis & immunitatis noſtrae privilegium revocamus. Et quod nulla navis, vel lignum quocumque nomine cenſeatur Piſanorum, vel qui Piſanorum nomine cenſeatur, in locis, ubi ponderaverunt, poſſit vel poſſint detineri, vel impediri pro ali quo decreto facto, vel faciendo in Regno. Haec autem praedicta omnia & ſingula a nobis vobis praedictis Poteſtati, Capitaneo & Antianis Piſani populi recipientibus pro Communi Piſano, & vice & nomine Piſani Communis conceſſa & data, robur & perpetuam obtineant firmitatem; ulla lege, ſeu conſtitutione, aut conſuetudine Regni, vel alia, ſive iure communi, vel municipali in aliquo non obſtante. Ad huius itaque rei memoriam & robur perpetuo valiturum, Nos praedictus Rex Conradus praeſens indeſcriptum Sigillo noſtrae Maieſtatis communiri mandamus. Datum Piſis in domo Piſani Archiepiſcopatus, praeſentibus illuſtri Viro Friderico Duce Auſtriae, & Stiriae, Marchione

Pala-

Palatino Veronae. Comite VVolferado de Verren Pincerna de Limpurch. Guidone Novello in Tuſcia Comite Palatino. Magiſtro Frederico de Mendorp Protonotario. Domino Allegro de Plumbino Iudice Cancellariae Piſani Communis. Bartholomaeo Muſſo Notario. Leonardo di Calci Notario Cancellariae Piſani Communis, & Ioanne Peccii, & Vgolino Bandi, Camerariis Piſani Communis, & aliis pluribus teſtibus ad hoc rogatis. Dominicae Incarnationis anno milleſimo ducenteſimo ſexageſimo nono, Indictione undecima, octavodecimo Kalendas Iulii ſecundum curſum Piſanorum.

Nos Carolus Secundus Dei gratia Ieruſalem, & Siciliae Rex, Dux Sueviae ſupraſcripta manu propria confirmamus.

Fredericus Dux Auſtriae praedictis interfuit, & ſubſcripſit.

VVolferadus Comes de Verren praedictis interfuit, & ſubſcripſit.

Guido Novellus Comes in Tuſcia Palatinus vice Regiae poteſtatis, interfui, & ſubſcripſi.

(2) Conſule *Platinam* in *Clemente IV.* & *Angelum De Conſtantio* in *Hiſtor. Neapolit.*

(3) Anno MCCLXX. *Villanius Lib.* VII. *Cap.* XXXVII. Conſule laudatum *Villanium*, & *Platinam* in *Gregorio X.*

ANno Domini 1269. Senenſes fuerunt debellati apud Collem (1) Vallis Elſae a Florentinis, quum tamen Senenſes eſſent in duplici numero quoad equites, & haberent circa viginti millia peditum. Florentini

tini autem non habebant mille, quia populus non venerat adhuc. Fuit in illo bello occiſus Capitaneus populi Senenſis, ſcilicet Dominus Provenzanus de Silvanis (2). Modico tempore poſt, Piſani fuerunt debellati a Lucanis iuxta caſtrum Caſciani (3). Item circa illud tempus Piſani fuerunt debellati ab Ianuenſibus, ubi Piſani amiſerunt quadraginta naves, ſive galeas roſtratas (4).

(1) Collis, nomen oppidi Etruriae conditi a Florentinis anno 1174. ut ſcribit *Villanius Lib.* V. *Cap.* VII. in Valle Elſae fluminis. Hoc autem flumen, iis aquis fluit, quae res iniectas in lapides convertunt, ut ipſe expertus ſum, & adſtruit *Dantes Purgat. Cap.* . . . Ceterum de aquis eam vim habentibus agit *Ovidius* XV. *Metam.* & *Plinius.*

(2) *Salvani* habet *Villanius Lib.* VII. *Cap.* XXI. & *Dantes Purgat.* XI. Num forte ut *Silvatico* & *Salvatico*, *Silveſtro* & *Salveſtro*; ſic *Silvani* & *Salvani*?

(3) *Villanius Lib.* VII. *Cap.* CXXI. habet *Aſciani*. Idque evenit anno MCCXXXVIII.

(4) Edimus hic Catalogum Trierarchorum, aliorumque militum ſtrenuorum, qui in hoc conflictu vel caeſi, vel capti ſunt, ex MS. Codice Bibliothecae Riccardianae. Quamquam enim hunc Catalogum *Troncius* etiam edidit, tamen quum noſter amplior & locupletior ſit, & alicubi quoque diverſus, eum hic exhibere fert animus.

Copia

Copia de' Nomi de' Padroni di quelle Galee, che i Piſani perdèttero alla Melora, eſſendone Capitano e Condottiere Vgolino Conte di Donoratico nell' anno MCCLXXXVIII. *a dì* VII. *d' Agoſto.*

Meſſer Nino Giſmondi. *M. Giovanni Morgantini.* *M. Iacopo Buzaccarini.*	*Tutti Giſmondi.*
M. Andreotto Gattani *M. Filippo Scanna* *M. Iacopo Foſchi* *M. Simone Boccetti* *M. Guido Gadduli* *M. Stefano Martaconi*	*Tutti Gattani.*
M. Giovanni di Fuccino *M. Andrea Vernagalli* *M. Simone Lanſa* *M. Maſino Buttaro* *M. Gaddo Gallo.* *M. Iacopo Lei*	*Tutti Caſa Lei.*
M. Obizo Gualandi *M. Niccolò Fancucci* *M. Benedetto Maſcalzoni.* *M. Lupo Roſigniuoli* *M. Bettino da Parrano* *M. Iacopo Buglia*	*Tutti Gualandi.*
M. Cecco Biſconti *M. Gaddo Mandaffetti* *M. Puccio Baratula*	*Tutti Biſconti.*

M. Gui-

M. Guido Moſca *M. Cino Ramondi*	*Tutti Moſca.*
M. Rinieri Bavoſi *M. Gano dalla Strada* *M. Piero Caſapieri*	*Tutti Caſapieri.*
M. Nanni Scacchieri *M. Nicolò Azzoppardi* *M. Franceſco di M. Iacopo Sacco* *M. Roſſo di M. Rinieri Sacco* *M. Simone di M. Iacopo Sacco*	*Tutti Sacchi.*
M. Vgo Lanfranchi *M. Pandolfo Pandolfi* *M. Benedetto di M. Gio. Malepa* *M. Rinieri Gualterotti* *M. Duccio Pazzagli* *M. Rinieri Farfera* *M. Iacopo Maſſari* *M. Gano Chicculi*	*Tutti Lanfranchi.*
M. Guido Pellaio	*Caſa Griſi.*
M. Giovanni Broncia *M. Simone di Niccolaio Peſtelli* *M. Andrea di M. Stefano Stufi*	*Tutti Lanfranchi.*
M. Iacopo Roſſermini *M. Giovanni Saſſetto* *M. Antonio Buſmaga*	*Tutti Roſſermini.*

Meſ-

M. Iacopo Orlandi *M. Pino della Saſſetta* *M. Gregorio del Nicchio* *M. Antonio Ieremia* *M. Lappo Gatti*	*Tutti Orlandi.*
M. Piero Grifo *M. Filippo da Caprona.* *M. Cecco Duodi* *M. Rinieri Conte* *M. Gorgona Grifo da Sangusmè*	*Tutti Duodi.*
M. Figlio degli Vppezinghi *M. Cione Maraſſi.* *M. Betto Paltonieri* *M. Bindo da Ceſtoculi*	*Tutti Vppezinghi.*

M. Lemmo da Librafatta
M. Binaglia de' Nobili da Buriano.
M. Giuſto Monti dalla Sala
M. Nugio de' Buonaſſalti da Terricciuola
M. Filippo degli Erici
M. Betto dalla Tavola
M. Lorenzo di M. Rinieri Zampante
M. Gano Squarcialupi.
M. Gerbo de' Nobili de' Brilli
M. Gano Conte di Segalàre
M. Filippo Biſconti da Fucecchio Piſano.
M. Bartolommeo Pecora
M. Niccolaio de' Lanfreducci.
M. Andrea degli Erici

Meſ-

Meſſer Gante da Ceſano
M. Vlivieri da Scorno } *Queſti furono Mercanti.*

M. Guelfo Roncioni
M. Simone di Meuccio da Calci Contadino.

Copia de' Nomi delle Famiglie, delle quali vi ſi ſono mandate l' Arme dipinte.

Del Colle
Griſi
Orlandi
Cattanelli
Verchioneſi
Sanſovini
Viſconti
Gualandi
Giſmondi
Lanfranchi
Malcondini.
Della Rocca
Vernagalli
Zampanti
Scaggieri
Gattani
Azzopardi
Carletti
Moſca
Vivai.
Caſapieri
Vppezzinghi
Roncioni
Della Caprona

Da Donoratico
Lanfreducci
Gambacorti
Agnelli
Agliata
Roſſermini
Galletti
Moſca
Da Settimo
Da Sancaſciano
Cuocenti
Graſſolini
Palmierini
Damiani
Lambardi
Tignoſi
Ragoneſi
Da Caſcina
Bartalotti
Compagni
Lante
Anarnia
Da Scorno
Paganelli

Be-

Benetti
Murci
Veneroſi
Maſtiani
Dal Foggio
D' Vnito
Catignani
Da Ceuli
Del Setaiuolo
Della Seta
Botticelli
Rau
Del Teſta
Buzzaccarini
Moricotti
Di Dino da Ceuli
Maracci
Ceſani
Sterlicchi
Borgarucci
Forcoli
Da Vecchiano
Papponi
Agoſtini
Buonaccorſi
Corbini
Boctii
Di Pone
Tripalli
Del Bocca
Bizzarri
Bettoni
Sardi
Bernardi
Pupilli
Cini
Da Piano
Della Chioſtra
Vrbani
Del Pitta
Dal Campo
Da Caſtello
Da Paule
Fiorelli
Caſaprimi
Buonaſſalti
Legoli
Del Voglia
Seravallini
Dal Pontadera
Aiutamichriſti
Della Freccia
Cinquini
Salmuli
Apoſtoli
Benenati
Palmieri
Del Torto
Del Pizzica
Dell' Ancroia
Del Moſca
Cilla

Magna quidem fuit haec Piſanorum clades, ut apud *Villanium Lib.* VII. *Cap.* XCI. videre eſt, quae contigit

anno MCCLXXXIV. ut vere *Villanius* & *Troncius* tradunt, indeque Piſanorum res in peius ruere, & retro ſublapſae referri; & tunc, vel non multo poſt compoſitam arbitror Lamentationem quamdam Italicis rhythmis, quae *Piſarum Lamentatio* inſcribitur, & adſervatur MS. in Bibliotheca Riccardiana. *Villanius Lib. VII. Capit. XCI.* opinatur huius cladis Deum a Piſanis poenas exegiſſe, quod hoc eodem loco, anno MCCXXXVII. Cardinales & Epiſcopos, Genuenſium claſſe vectos, & Romam ad Concilium tendentes, cepiſſent, & partim merſiſſent, Friderici II. iuſſa impia exſequentes, ut adnotavimus ad *Chron. Pont. p.* 247. *& ſeq.* & mentio fit etiam ſuperius *pag.* 111. & 232. qua occaſione ſanctiſſimus Gallorum Rex Ludovicus Epiſtolam ad Fridericum Imperatorem dedit, quam una cum Friderici reſponſo hic ex Codice Riccardiano Italice converſam proferimus.

Queſta mandò lo Re di Francia, quando preſe gli Parlati di Francia, che gli laſſaſſe.

„ ALlo invittiſſimo meſſer Federigo per la Dio
„ grazia Imperadore de' Romani, e ſempre
„ accreſcitore dello 'mperio, Re de Ieruſalem, e di
„ Cicilia, Lodovico per quella medeſima Re di Fran-
„ cia, ſalute in colui, nel quale regnano gli Re.
„ Per gli tempi paſſati la noſtra fidanzía per vertu-
„ dievole amore, e dilezione per lungo tempo in-
„ tra lo 'mperio, e 'l noſtro Regno fermata, e te-
„ nuta ſenza alcuna dibitanza, che neuna materia
„ naſcer poſſa, la quale intra noi adduceſſe odio e
„ ſcandalo, concioſſiacoſachè tutti i Re noſtri Ante-

te-

„ teceſſori di felice ricordanza infino a' noſtri tem-
„ pi l'onore, e l'eſaltamento dello 'mperio abbia-
„ no teneramente amato. E noi che dopo loro per
„ voluntà di Dio regniamo, in quello medeſi-
„ mo proponimento ſiamo tenuti. E ancora tra
„ gli antichi Imperadori di Roma e noſtri proſſimi
„ Anteceſſori fu uno medeſimo. In perciò riputan-
„ do unità di pace, e di concordia, e intra loro
„ non è ſuta ſconcordia, ma deſtriti ſiemo ma-
„ ravigliosamente, e non ſenza caſione d'offenſio-
„ ne, andando dinanzi, e avere fatto pigliare, e ſotto
„ guardia fatti deſtinire li Parlati del Regno noſtro, li
„ quali andavano alla Sedia dell'Apoſtolico noſtro, al
„ quale con fede come per ubbidienza erano tenu-
„ ti d'ubbidire i ſuoi comandamenti, non potemo
„ ricuſare, che queſto. Maggiormente portiamo mo-
„ leſtamente, che avendo inteſo, che contra la 'mpe-
„ riale altezza niuna coſa penſaro, avvegnachè il
„ Sommo Pontefice ad alcuna coſa meno debitamen-
„ te doveſſe procedere. Onde concioſſiacoſachè niu-
„ na coſa di deſtinire ſe trovi a loro, conver-
„ rebbeſi alla Voſtra Altezza gli Parlati, che det-
„ ti ſono del noſtro Regno far reſtituire alla debi-
„ ta libertade, per la quale, e nella quale libertà
„ ſe renduta ſarà, Noi a voi, e voi a noi ren-
„ derà piacevole, e noi la loro preſura o di-
„ ſtinimento ci reputiamo a iniuria, che al noſtro
„ Regno ſublime molto ſarebbe menovanzia ſe ſo-
„ pra cotai coſe noi taceſſimo. E ſe alle coſe paſ-
„ ſate gli occhi della mente vogliti rivolgere, al Ve-
„ ſcovo di Peleſtino, e agli altri Parlati della Chie-
„ ſa di Roma, i quali vogliono in pregiudicio no-
„ ſtro aiuto da noi impetrare, manifeſtamente lo
„ dineghiamo loro, con la veſtra maeſtade non po-

„ temo appo noi veruna coſa avere. Provvegga
„ adunque la 'mperiale benivolenza acciocchè pon-
„ ghia nella ſtadera del giudizio quelle coſe, le
„ quai ſcriviamo, e non voglia trovare luogo di
„ potenza, ovvero di voluntade; che per certo lo
„ Regno di Francia non è ancora intanto fatto de-
„ bole, che ſi laſsi menare per diſtrignimento di
„ ſproni.

La riſpoſta, che fece Federigo al Re di Francia.

„ FEderigo per la grazia di Dio Imperadore de'
„ Romani, e ſempre accreſcitore, Re di Ieru-
„ ſalem, e di Cicilia, a Lodovico ſopra gli altri
„ chiaro, e preclariſſimo Re di Francia ſalute, e
„ affezione d'intero amore. La Imperiale excellen-
„ zia inteſe le Reali lettere, le quali ſe non aveſ-
„ ſero avuto nel mezzo ſtanza di contradicimento,
„ averebbero avuto per avventura loro proponi-
„ mento. Ma imperciocchè poco di formento tutta
„ una gran maſſa corrompe, e una ſingulare falſi-
„ tà diſtrugge l' univerſale, ſarebbeſi convenuto,
„ che le Reali lettere aveſſero conchiuſa ſenza la
„ vertù del mezzo. La qual coſa evidentemente per
„ fatti dimoſtriamo, li quai ſono a tutti manifeſti.
„ E ciò che è notorio al mondo celar non lo puo-
„ te. In che guiſa quello in qua dietro Apoſtolico
„ la innocenzia noſtra dello ſpirituale e temporale
„ coltello à impugnato? Quando per ſuo comanda-
„ mento paſſammo oltre mare a quello avverſario
„ noſtro e inimico, lo Regno di Cicilia entrò non
„ ſolamente in parte, ma in tutto in molti modi
„ lacerò; e queſto poi dopo la noſtra tornata ri-
for-

„ formata la pace con la Chieſa a molte interpe-
„ zioni, e menovamento de' noſtri Principi del-
„ la Magna; e ripigliando devozioni, avvegnachè
„ i noſtri ſervigj andaſſero dinanzi a queſto Apo-
„ ſtolico le ſue mani verſo di noi più fortemente
„ aggravò, che unqua penſate potere gravamento,
„ e traboccamento di penſo, con la ſua propria boc-
„ ca ſenza caſione in noi ſentenzia di ſcomunica-
„ zione promulgando, e proferendo con lettere, e
„ con meſſi, gli titoli della noſtra diffamaſione
„ predicando a ciaſcuna ora, noviſſimamente a
„ noſtro inganno ſpirando, acciocchè torre faceſſe
„ contra la torre di David. Li Parlati, e qualun-
„ que poteo al ſuo Pontificale Conſiglio citò, deſi-
„ derando di porre Aquilone ad Oriente. Ma la
„ maraviglosa Provvidenza di Dio, per la qua-
„ le viviamo, e regniamo, queſta cotale conſpi-
„ razione rivolgendo ſe tornare quaſi tutta a
„ neente; e i Cardinali, e Parlati di Fran-
„ cia, come dell' altre parti e provincie, con-
„ cluſe nelle mani noſtre. Li quai tutti ſiccome
„ noſtri nemici, e avverſarj deſtigniamo, e colà
„ ove Noi venia meno perſecutore, non dovea ve-
„ nire meno difenditore. E ſpitialmente conciofſia-
„ coſachè la vertude dello 'mperio ſia ſopra cia-
„ ſcuno uomo, e ciaſcuno animale teme l' ira del
„ Lione. Allora ſi muova adunque l'altezza de' Re
„ ſe lo 'mperadore accreſcitore gli Parlati di Fran-
„ cia tiene in diſtretto, perciocchè queſti Parlati
„ all' angoſcia di Ceſare ſi sforzavano.

ITem 1289. undecima die Iunii Arretini, & Gibellini fuerunt debellati in Caſentino a Guelfis Florentinis, ubi ceciderunt Epiſcopus Arretinus (1) & Dominus Guillielmus (2), qui erant Duces exercitus, & multi nobiles de illa parte ceciderunt in illo bello (3). Item eodem tempore Florentini per terram, Lucani & Ianuenſes per mare, venerunt ad portum Piſanum, & deſtruxerunt turres portus (4).

(1) Epiſcopus erat Guillelmus Vbertinius. *Villanius*. Huius meminit etiam *Attilius Alexius* Arretinus in *Hiſtor. Arretina* MS. Bibliothecae Riccardianae: Conſulendus etiam *Vghellius*.

(2) Hic Guillelmus erat Pactius, ut docet *Villanius*, & *Martini Poloni* continuator Florentinus.

(3) Conſule *Leonem* noſtrum *Chronic. Pontific.* in *Nicolao pag.* 337. Inter eos, qui in hac pugna ceciderunt, fuit Boncontes Guidonis Comitis Montis Feretri filius, de cuius interitu, & cadavere inſepulto plura habet *Dantes Cap. V. Purgator.* digna quae conſulantur.

(4) *Villanius Lib. VII. Cap. CXXXIV.*

Ad

Ad Synopſin Chronologicam quae ſuperius pag. 60. *habetur Additamentum, quo illa ſuppletur, corrigitur, illuſtratur.*

An. AErae Vulgar.

871. ANno Ludovici II. Imperatoris XXII. XV. Kal. Ianuarii Indict. V. (nam anno 850. conſors Regni a Patre factus videtur, iuxta calculum *Florentinii Lib. III. De Mathild. pag.* 18.) Adalbertus Tuſciae Marchio Cathedrali S. Martini Lucenſi decimas ſuorum bonorum largitur. *Diploma* apud *Florentinium* laudatum, & *Vghellium*, in quo Curtes nominantur, Luca, Brancolo, Garfagnana, Peſcia, Sanctus Geneſius. *Perperam id anno 900. adſignatum fuerat in Synopſi.*

927. Hugo Italiae Rex ad Aldae coniugis ſuae preces, Tegrino Compatri ſuo, facultatem tenendi & commutandi bona Monaſterii Fontanae Taonis iuxta conditoris elogium, & praedicti Monaſterii regulam, concedit. *Diploma* datum Caſtrocarii in finibus Tuſciae, anno Regni eius ſecundo, cuius *ἀντίγραφον* apud *Fidel. Soldanium* exſtat.

928. Wido Etruriae Dux Kal. Ianuarii Lucae eſt. *Coſmas de Arena.* Perperam *Sigonius* hoc anno eius mortem conſignat, ut in *Synopſi* poſuimus.

943. Hugo & Lotharius Reges, XII. Kal. Novembris, quum Papiae eſſent, omnia bona Comiti Bernardo confirmant, at-

An. AEr. Vulgaris.

que inſuper S. Salvat. Eccleſiam cum praediis omnibus concedunt. *Dipl.* adlegatum in *Adv. MSS.Bonamici* apud *Mar.Florium*.

950. Berengarius Rex bona quaedam Eccleſiae Florentinae donat. *In Synopſi anno* 1050.

962. Otho I. Imperator Piſas venit, ibique ſeptem familias nobiles reliquit, Caſamactam, Ripamfractam, Orlandos, Gatanos, Guſemarios, Vicecomites, Dodos. *Th.Dempſterus Lib.V.Etr.Reg.Cap.CXVIII.*

973. Lambertus Marchio Ildebrandi Marchionis F. caſtra quaedam in Etruria ſita vendit. *Coſmas de Arena*.

985. Hugo Marchio, quum Lucae eſſet, *dirigit miſſos pro commutatione bonorum Epiſcopatus*. *Fragmentum Diplomatis* apud *Puccinellium*, poſt *VVillae vitam*.

988. Adimarus Comes, Bonifacii Ducis, & Marchionis F. Coenobio Septimi in agro Florentino bona & Eccleſias a Patre donata confirmat. *Coſmas de Arena*.

989. Willa Comitiſſa ab Adanaldo, qui Amizo vocabatur, Florentino Terram & Caſam quamdam in agro Florentino ſitam emit. *Inſtrumentum* apud *Puccinellium* in *Vita VVillae*. Ermingarda Lamberti Marchionis uxor vidua, caſtra, arces, & territoria varia, & ipſum Montis Viridis Monaſterium, aliaſque Eccleſias diſtrahit, vel emit. *Vghellius* in *Epiſcopis Volaterranis*. *Coſmas de Arena*.

990. Otho III. Monaſterium SS. Apoſtolorum Philippi & Iacobi, & S. Pontiani Martyris

An. AEr. Vulgaris.

tyris ad Lucam a Iacobo Diacono aedificatum, & a Willa Comitiſſa reſtauratum, in patrocinium recipit, & ei omnia bona confirmans privilegia largitur. *Diploma* datum Indict. III. apud *Puccinellium* in *Vita VVillae*.

993. Willa Comitiſſa Piſis quum ageret donat Eccleſiae ac Monaſterio S. Mariae Florentiae a ſe aedificato caſtra quaedam & praedia. *Diploma* apud *Puccinellium* datum anno XI. Othonis III. Imperatoris, pridie Kalen. Iunii Indict. VI. Hoc perperam anno 978. in *Synopſi* adſignatum fuerit, cui etiam *Puccinellius* in *Chronico Abbatiae Florentinae* adſeruerat; ſed errorem deinde in *VVillae Vita* deprehendit, & confeſſus eſt.

994. Hugo Tuſciae Marchio bonis Florentinam Abbatiam locupletat. *Puccinellius* in *VVillae Vita*.

995. Hugo Marchio, quum Lucae eſſet, caſtrum Luci, & Eccleſiam Sancti Clementis Abbatiae Florentinae donat. *Inſtrumentum* apud *Coſmam de Arena*. Bona quaedam & Eccleſias in agro Cluſino ſitas, quum Murtae in Soanenſi agro eſſet, coenobio Sancti Salvatoris Montis Amiatae largitur. *Coſmas de Arena*.

996. Hugo Marchio Abbatiae Florentinae caſtrum, & collem de Monte, & Burgo, & Eccleſiam Sancti Martini, aliaque bona donat. *Inſtrumentum* apud *Coſmam de Arena*.

Otho

An. AEr. Vulgaris.

1002. Otho III. Monaſterio S. Mariae, & S. Benedicti, ſito in Alpe, quae dicitur Platalia, ad radicem Montis nomine Acuti, bona ab Hugone Marchione donata, aliaque confirmat. *Diploma* datum in Paterno apud *Puccinellium*. *Id perperam in Synopſi anno* 1062. *adſignatum fuit*.

1004. Henricus II. Monaſterio Serenae fundationem, & bona a Gerardo Comite, & Guilla uxore donata, confirmat. *Diploma* cuius *ἀντίγραφον* apud *Fid. Soldanium* adſervatur. Hic tamen obſervandum pluria huiuſmodi Henrici II. diplomata hoc anno notari, quum tamen in iisdem addatur, *anno Imperii primo;* quare videretur potius legendum MXIV. quum hoc anno Henricus Romae coronatus fuerit, ut recte monebat *Fidel. Soldanius* Monachus erudititiſſimus. Lotarius Comes Cadoli Comitis Burgi novi Ficicli filius coenobium Septimi reſtaurat. *Coſmas de Arena*.

1009. Willelmus Comes Monaſterio Paſſiniani bona quaedam pro anima Hugonis Marchionis donat. *Inſtrumentum* apud *Fid. Soldanium*.

1012. Henricus II. Beato Romualdo bona quaedam in loco, qui Bifurco vocabatur, in Apennino largitur. *Diploma* apud *Vgbellium* in *Epiſcopis Faventinis*, & apud *Soldanium* in *Quaeſt. Vallumbroſ. Male a nobis anno* 1015. *in Synopſi id adnotatum*

Ann. AEr. Vulgaris.

tum fuerat, ſed ab ἀντιγράφῳ quodam deceptis.

1014. Henricus Imperator Epiſcopo Arretino ſuper pluribus Caſtris, & Villis, & aliis locis, merum & miſtum Imperium concedit. *Diploma* datum Romae, & recenſitum in *Bonamici Adverſariis.*

1027. Conradus Monaſterio S. Ianuarii Campileonis bona iterum confirmat. *Diploma* apud *Puccinellium* datum Romae, quod in *Synopſi Chronologica* ad hunc annum non ſatis diſtincte expoſitum fuerat.

1037. Conradus II. Imperator ius in quadam cella Fontanae Taonis Monaſterio S. Ioannis Evangeliſtae Parmenſi confirmat. *Diploma* cuius ἀντίγραφον apud *Fid. Soldanium.* Donationes Eccleſiae Florentinae factas confirmat. *Diploma* apud *Luvigium Tom. III. datum Veronae VI. Idus Iulii.* Comes Guido Comitis Rainerii F. Eccleſiae S. Mariae Volaterranae multa bona largitur. *Monumenta Epiſcopii Volaterrani.* Imperator Monaſterium Paſſiniani ſub protectione recipit hoc anno, ut quidam cenſent. *Diploma*, cuius ἀντίγραφον apud *Fidelem Soldanium.*

1047. Henricus III. Imperator Coenobio Camalduli bona omnia, & iura confirmat, immunitatemque concedit. *Diploma* datum Romae, cuius ἀντίγραφον apud *Fid. Soldanium.* Henricus III. omnia iura & poſſeſſiones Monaſterio S. Ianuarii confirmat.

Ann. AEr. Vulgaris.

firmat. *Diploma* datum Romae apud *Puccinellium*, quod in *Synopſi Chronologica admodum confuſe expoſuimus, opus enim praecipitabamus.*

1053. Hugo Comes Ridolphi Comitis F. bona quaedam Azzoni Abbati, & Monaſterio S. Petri in Palatica donat, ut conſtat ex inſtrumento, quod ſubiicimus, cuius αὐτόγραφον exſtare in archivo Vallis umbroſae mihi adfirmavit Monachus doctiſſimus *Fid. Soldanius*; ἀπόγραφον vero mecum communicavit Vir nobiliſſimus & humaniſſimus *Guido* Comes Gherardeſcae.

In Nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti Dei Eterni Anno ab Incarnationis eius mille quinquageſimo tertio Regniante Domino noſtro Erigo gratia Dei in Italia Imperator Auguſtus Anni imperii eius ſexto quarto Idus Iunii indictione ſexta.

Manifeſti ſumus nos Vgo comes filio bon Ridolfi qui fuit comes genitor meus & Iulitta comitiſſa Iugalibus filia Gulielmi qua per conſenſum, & data mihi licentia . . . . vir meus quia per hac cartulam venditionis vendamus, & mandamus tibi Domino Azo Abas de Monaſterio Beati S. Petri Apoſtolis principe Apoſtolorum ſito in loco Palatica prope Montem Viridem ad opus de ipſius Ecleſia, & monaſterio Beati S. Petri principi Apoſtolorum ideſte Caſolino meo, ubi iam fuit caſa, & curte mea doni . . . . . illa quem abeo in loco & finibus, ubi dicitur Gualda cum tota curte dì Gualda cum tota ſua pertinetia, & caſtello meo illo,

quod

quod habeo in loco & finibus Taurici & quod eſt de pertinentia de iſſa curte de Gualda que ſic eſt bene pro acta ſupra dicta curia mea de Gualda de lato . . Monte Viride ſive rivum de Baconavio mittit maſſariam, & vadit ad caſtiglioncellum, & uſque alla Conodaza intagneto, & redit in rivum Gualdi ſi arni, & redit in ſtradem de plano de cornia & per iſtum ſtradem redit in Starniola & in alio loco de carbozi tendit in plano della Cornia, & redit illo Domum, & pro illo Domum ſurſum redit in foſſatum della Cornazana, & inde volvit ſe adſinopi trahit uſque avitricia, & uſque ad condimentum, & redit ad tavulacium & revolvit ſe uſque per tota ſilva ad peruti ; & redit a Moſtori, & vadit uſque a colle lucciori cum tota pertinetia de ipſa villa de colle luceiori, & redit in Starnoliam inter pomicalia e la Stricia, & redit ad Cerbugam & deſtendit pro Giuncata, & redit in praedicto Baconzium a ſupra dicto Caſalinum ubi non fuit, ubi iam fuit caſa, e curte mea donicata cume ſupra ſcritta curte qualiter eſt terra finata, & deſignata loca cum fundamentis; & omne difici vel univerſis fabrice ſuis cum caſis & eaſinis ſui caſalinis que rebus tam donicatis quam maſaritiis ſeu curte ortalis terris vineis olivetis caſtagnietis querciatis ſilvis virgatis pratis paſquis aquis aqueductibus . . . . & cultis vel incultis omines, & feminas cum omnia, & in omnibus rebus ; quantum uſque in qualibus locis vel vocabulis a ſupra ſcritta curtis eſt pertinentes a prefacto Azo abas de Monaſterio beati ſancti Petri principe Apoſtolorum, noſque ſuper Iugalibus vendemus & tradimus ad habendum tenendum regiendum colendum gubernandum & gubernare faciendum eoqunque aut qualiter nobis prefato Azo Abatis de Eccleſia, & Monaſterio ſancti Petri principe Apoſtolorum

lorum placuerit vel poſteris ſucceſſoribus veſtris in perpetuum pro qua vendidit, & traditione recepit & ad quatros omnes ſupra dictorum confines Comes qui fuit genitor meus quadraginta libre de bonis danari de Luca, atque Azo Abas ad parſe de ſupra dicto Monaſterio, & Eccleſia beati ſanti Petri principe Apoſtolorum, & nos Iugales alias quadraginta, & primum autem quod Azo Abas ſimiliter finitum, & ſuper nos Iugales Vgo comes & Iulitta comitiſſa pro remedio Anime noſtre, & pro remedio Anime Rodulfi comes qui fuit genitor meus, & pro Dei timore, & iudicium tradimus offerimus deo omnipotenti, & Eccleſia, e Monaſterio beati S. Petri principe Apoſtolorum plebem meam que eſt coſtruta, & edificata in onore Beate Virginis Marie, e ſanti Ioannis Batiſte infra prefata curte in villa de Gualda cum omni iure padronatum, de ipſa plebe, & curte cum omnia pertinentia, & omni ſtanzia ſua & cum omnia & in omnibus ad ipſam plebem eſt pertinentes, & cum ea illa cui vocabulum eſt beati ſanti Blaſi, e ſanti Ipoliti, & infra predicta villa mea della Stricia ſalvo iure populo de ſupra dicta plebe quo eſt fundata, & coſtructa infra confinia populonieſi a ſupra dicta plebe cum prefata Eccleſia cum omnibus rebus, & pertinentiis ſuarum, & omnia in integrum cum inferioribus & ſuperioribus ſui cum acceſſionibus, & ingreſſis ſuorum omnia res omnibus ſic ſuperius legatum, in qua nos Iugales iudicamus & offerimus tibi Deo, & Eccleſia, & Monaſterio beati S. Petri principe Apoſtolorum pro Anime mee remedium & pro remedio Anime Rodulfi comes, qui fuit genitor meus, & pro remedio Anime Matilde Genitrice mea nam abeat tenere firmiter quam poſidere in perpetuum ſi aliquo tempore non Iugales vel noſtres eredes tibi Azo Abas felle ad alios poſteros rectores Eccleſie e Mo-

naſterio

naſterio beati ſanti Petri Apoſtoli in aliqua facta venditione, & de indicato orfertione mea . . . . ipſi Eccleſie, e Monaſterio beati S. Petri Apoſtoli, atque Abatem, & Monachus ibidem ordinatis hac omni omine vel femina defendere non pretermiſſum nos prefates Iugales una cum noſtri eredes imponere, e ipſa Eccleſia Monaſterio beati S. Petri Apoſtoli, & Abas, & Monaſteri qui pro tempore ibidem ordinatum fuerint venditione iudicatum, & orfertione noſtra omnia in duplum deferre quidam loco ſub eſtimationem valeas tunc fuerint ſic tamen ſuos tantoris ne defamoſus querere ne donec volueritis licentia ab ratis ſuiſque iſtiſtentibus de ſupra ſcritta Eccleſia cauſas eſinde augendi querimonia fiat . . . . . . ſuam ponendis modis omnibus qua ordine hac cartula venditionis, & orfertionis Attoni Notari Domini Imperatoris ſcribere rogavit.

Actum loco, & finibus prope Eccleſia & Plebe S. Marie & S. Ioannis Battiſte de predicta Gualda.

Ego Creſcentius Sacri Palatii Notarius hanc Cartam ab Attone Not. per totam diligenter perlegi, & exemplavi fideliter.

Ego Petrus Domini Imperatoris Not. viſo priori Inſtrum. ab Attone Notario confecto, & ab eo autenticato & perlecto ſubſcripſi meo exemplo,

Ego Henrigus Domini Imperatoris Notarius viſo priori Iſtrum. ab Attone Notario confecto & ab eo actum autenticate & perlecto ſubſcripſi in hoc exemplo.

Ego Antonius Pardi de Vulterr. Not. publicus, & ad praeſens Not. & Scriba Camerae Communis Vult. ac copiator actorum Communis predicti, exempli infraſcripti ex Iſtrum. ut ſupra fideliter copiavi de verbo ad verbum prout in dicto ſuo Autenticato inveni, nil addens vel minuens

minuens quod me in fidem ſubſcripſi Anno Domini MCCCCXLI. *Indictione quinta, die vigeſima quarta menſis Octobris.*

Ego Petrus Mariotti q. Petri de Landis de Monte Varchio Vallis Arni ſuperioris & Comitatus Florentiae Imperiali auctoritate Iudex ordinarius, necnon Not. publicus Florentinus predicta omnia ſupraſcript. Iſtrum. ſcripſi & publicavi, &c. manum ſupraſcripti q. Antonii Pardis de Vult. exemplavi infraſcripta ex Iſtrum. ut ſupra ſubſcriptionis copiavi de verbo ad verbum prout in dicto ſuo autenticato inveni, & nihil addendo vel minuendo, & in fidem me ſubſcripſi ſub meo ſigno, Anno Domini noſtri Ieſu Chriſti MCCCCLI. *Indict.* 14. *die vero* XXII. *Menſis Iulii.*

An. AEr. Vulgaris.

1081. Luca adverſus Imperatorem rebellat, & Mathildae Imperium detrectat. *Benedict. Bacchinius Hiſtor. Coenob. Padolironen. Lib. II.*

1089. Indict. XIII. Kalen. Decemb. Sigiſmundus & Hugo Fundatores Coenobii S. Martini in Collibus Dioeceſeos Lucanae, idem Coenobium Abbati Monaſterii S. Benedicti Padolironenſis regendum, & corrigendum ſubiiciunt. *Inſtrumentum* apud *Ben. Bacchinium Hiſtor. Padoliron.* Hugo Comes Bulgari Comitis F. una cum Cillia coniuge offert Deo Eccleſiam S. Mariae de Monaſterio (forte Montis Scudarii) & omnia bona eidem Monaſterio confirmat, ut ex Diplomate ſequenti patet, quod αὐτόγραφον apud laudatum

Ann. AEr. Vulgaris.

datum Comitem Gherardeſcae adſervatur.

In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti Dei aeterni. Anno ab Incarnatione eius milleſimo octuageſimo nono, Menſe Martio, Indictione duodecima.

Nos quidem debitores operum Dei ad faciendum ea ex innumeris beneficiis eius in nos recognoſcimus, dicente Propheta: Vovete & reddite Domino Deo veſtro omnes qui in circuitu eius affertis munera. Idcirco Nos Vgo Comes filius quondam Bulgari Comitis, & Cillia Iugalis, ſub notitia duorum proximorum parentum meorum Vgolini, & Rainuccini germani, interrogata me Cillia, & cognita nullam me paſſam violentiam, voluntarie hunc contractum celebrare communiter & legaliter dato conſenſu per hanc cartam offerimus tibi Domino Eccleſiam Sanctae Mariae de Monaſterio, & eiusdem Eccleſiae donamus cedimus tradimus omnia, quae Monachi praedictae veſtrae Eccleſiae modo habere & detinere videntur cum caſis, & terris, & vineis, ſilvis, & buſcareis, cultis & incultis omnibus, quae eorum partem tenent, & nominative eorum caſam & res maſſaritias, quae detinuit Lambertus presbyter, & illam, quae detinuit Gerardus Caſtaldio, & aliam quam detinuit Ioannes Conrado, quae poſitae ſunt prope Eccleſiam Sancti Petri. Et offerimus eidem Eccleſiae aliam caſam & res maſſaritias poſitas in loco qui dicitur Caſtaneola prope fluvio, qui dicitur Sora, & aliam caſam & res maſſaritias . . .

. . . . .

cum ſex cultris de ſilva in loco qui votatur Colleleoni *prope Piſcia . . . . eidem Eccleſiae*

 illa

illa molendina quae ſunt in fluvio Caldana cum aquis & aqueductibus ſive omnibus diſcurſionibus ſuis, & cum omnibus, quae nos . . . . Vgo Comes, & Cilia vel noſtri baeredes . . . . . praedictae Eccleſiae Dei conceſſerimus, ut ea omnia quae ſupra ſcripta ſunt ſine vitiis, Dei, & praedictae Eccleſiae ad uſum ſumptum & commodum diſpenſationemque Deo militantium proprietario nomine. Quam noſtram offertionem ſi nos . . . Coniugales vel noſtri haeredes revolvere, vel diminuere, ſeu in aliquo tranſmutare quaeſierimus, per aliquod ingenium, aut ſi nos Coniugales vel noſtri haeredes ea omnia ad honorem Dei & praedictae Eccleſiae Dei Genitricis Mariae non defenſaverimus, aut ſi defenſionem Rectoribus eiuſdem Eccleſiae & monaſterii in integrum non fecerimus de omnibus rebus ipſius Eccleſiae, & de perſonis ibidem Deo ſervientium, & miniſtrorum ſuorum, tam de nobis & noſtris, quam & de quocumque, qui res praedictae Eccleſiae iniuſte rapuerit, ſpondemus nos & Iugales communiter, & legaliter dato conſenſu, nos, noſtroſque haeredes debere componere auri optimi libras centum, partim praedictae Eccleſiae & Monaſterii. Et inſuper ſupra violatores ſupraſcriptorum omnis maledictio ira & indignatio in omnem animam veniat contra omnia haec operantium, ſitque ſuper eos anathema Maranatha, ideſt pereant cum Dominus advenerit. Et haec omni tempore ut vera appareant, Ildebrandum nomine Domini Imperatoris, pro nobis haec ſcribere communiter nos Iugales, & legaliter dato conſenſu rogavimus.

✠ *Signum ſupraſcriptorumdem Vguccioni Comitis & Ciliae Iugales, qui hanc oblationis paginam fieri rogaverunt, & ſupraſcripto Comiti eidem uxori ſuae conſenſi.*

Signum

Signum Domini Vgolini & Rainuccini germani filii ſupraſcriptae Comitiſſae Ciliae ,

Signum Domini Lamberti filii Domini Ruſtichi & Bernardi filio Domini Rocchi Pogaccis teſtes fuerunt .

Signum Domini Gherardi Caſtaldio filio Domini Liecci , & Vghi filii Domini Seſmundi , & Rainucci filio Domini Vitalis Pogaccis teſtes .

Dominus Ildebrandus nomine Domini Imperatoris poſt praedicta complevi , & dedi .

Quum hic Hugo , etiam Huguccio vocetur in ſubſcriptione, arbitror Hugonem & Lucterium Comites Huwiccionis Comitis filios, huius Hugonis natos fuiſſe. Illi quidem ita adpellantur in antiquo monumento, quod eorum edictum continet, in quo ipſi enunciant Hugiccionem patrem ſuum una cum eius coniuge matre ſua , Monaſterii ad honorem Dei , & B. Virginis Mariae exſtructi auctorem , & primum ſtabilitorem fuiſſe. Quum vero ex praecedente inſtrumento evidenter conſtet huius Monaſterii inſtitutorem fuiſſe Hugonem illum Cilliae maritum, non eſt cur ambigatur , quin eius ſint filii Hugo & Lucterius praedicti , quorum edictum in memorati Monaſterii favorem promulgatum αὐτόγραφον & quod Scriptione ipſa pulcerrima ſeculum illud XI. indicat , ampliſſimus Comes Gherardeſcae Guido , ſuperius laudatus,mecum perhumaniter communicavit. Ceterum ſciendum eſt Hugonem ſeu Huwiccionem illum Bulgari Filium , Comitis Lotharii Nepotem fuiſſe, Cadoli autem Burgi Novi Ficicli Comitis pronepotem , ut docet *Coſmas de Arena* in Serie Ducum Etruriae *pag.* 189. ſubſpicaturque conſortem fuiſſe familiae Albertorum Comitum Prati, & Certaldi , & Imperii Principum. Hugo au-

tem ille Marchio Monaſterii etiam Mantignani conditor fuit: Lotharius vero eius avus Monaſterium Septimi vel aedificavit, vel reſtauravit anno 1004. ut ſuperius ad hunc annum adnotavimus. *Coſmas de Arena* loco citato. Edictum Hugonis & Lucterii memoratorum ita habet;

In Nomine Dei, & Salvatoris noſtri Ieſu Chriſti qui dixit: Pater meus uſque modo operatus eſt, & ego operor. Et alibi: Beati qui diligunt iudicium, & faciunt iuſtitiam in omni tempore. Item: gloriamini omnes recti corde. Nos Vgo, & Lucterius Comites Comitis filii quondam Huwiccionis. Sic pat. ipſe Monaſterii morr. auctor, & primus ſtabilitor poſt dictum cum coniuge ſua genitrice noſtra extitit ad honorem Dei, & Beatae Virginis Mariae, Sancti B. omniumque ſimul Sanctorum, ita nos ſequentes veſtigia illorum, pro remedio ac ſalute animarum ſuarum, noſtrarum, fratrum, ſororum, & haeredum noſtrorum, notum facimus, firmiterque mandamus univerſis circumvicinis, & accolis, qui adiacent, ſive qui diſtant, quam quibuſcumque ſervitoribus dicti qui modo ſunt ibi, aut inibi, quicumque profuturi ſunt malo animo ſtudioſe dicimus moleſtiam inferre tentaverit, damnum & detrimentum faciens aliquatenus, ſicut per praedam, ſcaccum, furtum, incendium, vel etiam per oppreſſionem aliquam minus penderit in toto circuitu & ambitu illi Eccleſiae, ſicut ſitus loci requirit, & ſicut Epiſcopus in conſignatione illius Abbatiae cum iam dicto Genitore noſtro, & aliis quamplurimis hominibus per deſignata loca ſub anathemate ſancivit. Videlicet ut a Piſcaria, quae dicitur Leproſarium, a concavis ad uſque rivum Torniani, quicumque in ſuis locis infra minus penderit in redeundo aut eundo niſi

quan-

quantocius emendaverit vinculo il ius anathematis aſtrictus teneatur. Quicumque ille fuerit, ſicut ſupra diximus, qui ſtudioſe hoc egerit, aut infra ambitum, aut infra aliquam obedientiam, ſeu pertinentiam, & non ſit paratus emendare infra XV. dies, ſciat ſe contra voluntatem noſtram facere, & reum eſſe anathematis, & inſuper bannum noſtrum ad poenam ſolvet. Et haec omnia ſic eſſe, & firmiter apud noſtros heredes in ſua ſecuritate perſiſtere in perpetuum fieri rogavimus.

An. AErae Vulgaris.

1090. Guido Comes Florentio Abbati Vallisumbroſae praedia donat. *Ammiratus* ex *Inſtrumento*.

1096. Guido Guidonis F. & Imilia eius uxor praedium & vineam Monaſterio Vallisumbroſae donant. *Diploma* in *Archivo Vallisumbroſae*.

1100. Guido Marchio, ut vocatur, Widonis Comitis F. donationem Curtis de Porclano B. Andreae Abbati Strumenſi factam confirmat. *Diploma*, cuius ἀντίγραφον apud *Fid. Soldanium*. Petrus ex Comitibus Donoratici de Natalico Cardinalis a Paſchali II. creatus, in ſchiſmate contra Innocentium II. Anacleto adhaeſit, eoque extincto Victorem III. Antipapam ſequutus eſt; quo tamen relicto, ad ſaniorem mentem rediit, parteſque Innocentii II. ſibi ſequendas propoſuit. *Thomas Dempſterus Lib. V. Etrur. Regal. Cap. II.*

1101. Mathilda ex Etruria in Langobardiam pro-

An. Aerae Vulgaris

ficiſcitur. *Bacchinius Lib. III. Hiſtor. Padolironen.*

1103. Imilia Comitis Guidonis Guerrae uxor Congregationi Vallisumbroſae multa bona de mariti conſenſu largitur. *Monumentum*, quod nos edituros receperamus, ſed iuſtis de cauſis omittimus, *& quod male anno* 1110. *conſignatum fuerat*.

1104. Mathilda Abbati Monaſterii Padolironenſis bona quaedam confirmat, & donat. *Inſtrumentum*, cuius teſtes inter alios ſunt Guidoguerra, & Lanfrancus, & Opizo de Gonzaga, apud *Bacchinium Hiſtor. Padolironenſ.* Mathilda in Villa Foſſanae in Tuſcia ius dicens pro Abbate Ponteucci ſententiam fert. *Bacchinius Lib. III. Hiſtor. Padolironenſ.*

1105. Comes Hugo & fratres, Comitis Hugonis filii, Canonicae Volaterranae Caſtrum & Curtem Germagnanae donant. *Inſtrumentum* in Archivo S. Octaviani Volaterris.

1109. Hugo Comes Huguiccionis Comitis F. Monaſterio S. Mariae multa bona donat, ut ex ſequenti inſtrumento mecum a clariſſimo Viro *Guidone* Comite Gherardeſcae communicato conſtat.

In Nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti Dei, & in Anno ob incarnationem eius milleſimo centeſimo nono ipſo die Kalendas Februarii, indictione ſecunda, manifeſtus ſum, Ego Vgo Comes filius quond. Vguc-

cio-

cionis Comitis quod per hanc Cartulam vendo, & trado tibi, Eccleſiae, & Monaſterio Domini, & S. Mariae, ſanctique Benedicti, quae eſt conſtructa, & aedificata prope Norronam, in qua Gherardus gratia Dei Abbas, & Rector conſiſtere videtur, videlicet medietate integra de mea portione de caſtello, & curte de Morrona, cum omni iure, & actione, ſeu omni ſua pertinentia, praedicta vero integra medietate de mea portione de iſto caſtello, & de iſta curte cum omnibus caſis, & caſinis, ſeu caſalinis, ſimulque terris, & rebus, vel ſubſtantiis meis; ideo tamen de caſis, & rebus donicatis, quam, & de maſſariciis, cum fundamentis, & omnibus aedificiis, vel univerſis fabricis ſuis, ſeu cum curtis, hortis, terris, vineis, olivis, ſilvis, virgareis, pratis, paſcuis, cultis rebus, vel incultis, ſive de mobilibus, vel de immobilibus, ſeu qi ſe moventibus, ſive de nutriminibus magiſtris, vel minoris meis, de quibuſcumque rebus, vel in quibuslibet locis, vel vocabulis, & ubicumque habere, & poſſidere viſus ſum infra iſtum caſtellum, & iſtam curtem, & mihi pro quocumque ordine, legibus, iure pertinentes, aut in antea pertinere debent, tam de iure Parentum meorum, quam & de acquiſitu meo, quot modo habeo, & poſſideo, vel quot in antea, Deo adiuvante, legibus acquiſiero, infraſcriptam curtem, una cum omnibus partibus, & brevibus, ſeu iudicatis, ſeu quibuslibet litterarum ſcriptionibus, quantas, & quales in me miſſae, aut datae ſunt, vel pertinentes, aut undecumque eſſe inveniuntur, ut dictum eſt, iſta medietate de iſto caſtello, & de iſta curte cum inferioribus, & ſuperioribus ſuis, ſeu cum finibus & ingreſſibus earum, tibi iſtae Eccleſiae ea medietate vendo, & trado, pro qua mea venditione, & traditione recepi meritum ab Gherardo Abbate, & Rectore

iſtae Eccleſiae unum par pellium in praefinito, unde repromitto ego Vgo Comes una cum meis heredibus tibi iſtae Eccleſiae & Monaſterio, tuiſque Rectoribus, aut eidem homini, cum nos iſtam meam venditionem, & traditionem dederitis, vel habere decreveritis, ut ſi nos vobis eam aliquando tempore in aliquot exinde intentionaverimus, aut revolvi, vel ſubtrahi, quae fecerimus nos, vel ille homo, cui nos eam dediſſemus, aut dederimus per quodlibet ingenium, & ſi vos exinde auctores dare volueritis, & eam vobis ab omni homine defendere non potuerimus, & non defenſaverimus. Concedimus nos vobis inquirere iſtam meam venditionem, & traditionem in duplum inferq. de loco ſub aeſtimatione qualis tunc fuerit, ſic tamen ſi non exinde auctore, nec defenſorem, quaeſiti non fuerimus, licentiam habeatis, abſque noſtra perſona, ſi noſtra fuerit voluntas exinde cauſam agendi, reſponſum reddendi, ſive ponendi modis omnibus vobis ea defenſandi cum cartula iſta, vel qualiter iuxta legem melius potueritis, ut in tali ordine hanc Cartulam Guidonem Notarium Sacri Palatii ſcribere rogavi in una hac iuxta Abbatiam S. Mariae . . . . Pulciano infra Plebem de Cellule in Comitatu Vulterrano.

Signi manus infraſcripti Vgonis Comitis, qui hanc Cartulam fieri rogavit ſignio manuum Gherardi filii q. Vgonis, & Rugerii filii Ioannis, & Vgonis filii infraſcripti Gherardi teſtium.

Ego Guido Notarius Sacri Palatii poſt traditam complevit, & dedit. 1

Supraſcriptam Chartulam factam ex tenore, quo ſi ego Vgo Comes legitimum filium, vel filiam habuero & Nos tibi iſtae Eccleſiae, & Monaſterio, aut tuo Rectori, aut ad utilitatem ipſius Eccleſiae pro nos au pro miſſos noſtros reddiderimus libras quinquaginta de

bonis

bonis denariis expendibiles de moneta de Lucca iſta Carta ſit inanis, & vacua, & in noſtra deveniens poteſtate, & ſi forſitan ipſas libras potius recedere non potuerimus, aut voluerimus, tunc praefata Eccleſia habeat medietatem praedictae rei, donec nobis, vel noſtris miſſis praedictas libras de bonis denariis eidem Eccleſiae reddiderimus, & ſi ego ſine legitimo filio, vel filia mortuus ero, vel ſi habuero, & ante legitimam aetatem ſine legitimis filiis, vel filiabus mortuus fuero, tunc volo, ut omnia, quae ſupra legavi cum alia medietate de iſto caſtello, & de iſta curte, quam in mea praeſervavi poterimus, ſint iure proprietario iſtae Eccleſiae donatae oblationis pro remedio animae meae, & parentum meorum abſque omni calumnia, &c.

An. AErae Vulgaris.

1110. Henricus V. Canonicis Eccleſiae Arretinae privilegia, & immunitates ab Henrico patre conceſſas confirmat. *Diploma* adlegatum in *Adverſariis Bonamici* apud *Marium Florium*.

1111. Henricus Imperator Monaſterio Padolironenſi omnia bona confirmat, & inter alia Eccleſiam S. Bartholomaei de Luca cum iis, quae ad eam attinent, & SS. Martyrum in Colle. *Diploma* apud *Bacchinium* datum Veronae XII. Kalend. Iunii Indict. IV.

1112. Pepo Comes Monaſterium S. Mariae de Spineta a ſe & a Guilia matre conſtructum Vallumbroſanis donat. *Diploma* datum in Pacciano, cuius *ἀντίγραφον* apud *Fid. Soldanium*. Hugo Comes Hugonis Comitis

An. AEr. Vulgaris.

mitis filius, Communis Volaterrani nomine, ſalvo ſupremo iure & dominio Comitiſſae Mathildae, & ſucceſſorum in Marchionatu Tuſciae, quaedam agit. *Inſtrumentum* in Archivo Volaterrano. Mathildam hoc anno praeſentem Balnea Piſana reſtituiſſe, falſum arbitratur ex antiquis inſtrumentis *Bacchinius Lib. IV. Hiſtor. Padolironenſ.* Mathilda in inſtrumento cuiusdam donationis factae Eccleſiae S. Caeſarii memorat Viros quosdam nobiles de Sala, *qui mihi multum ſervierunt in diſcordia Imperatoris Enrici quarti*, ut ipſa ait. *Inſtrumentum* apud *Bacchinium*.

1113. Caecilia Comitiſſa, quae ſuperius in inſtrumento ad annum 1089. producto Cillia vocatur, Hugonis Comitis uxor vidua, & Hugo Vicecomes, aliique, variis Eccleſiis varia bona reſtituunt, ut ex ſequenti inſtrumento ex archivo Comitum Gherardeſcae depromto conſtat.

In Chriſti Nomine. Breve pro modernis, & futuris temporibus ſecuritate, ac firmitate ad memoriam habendam, vel retinendam, qualiter in loco Ficiclo iuxta Eccleſiam Monaſterii ibidem bonorum hominum, quorum nomina ſubter leguntur, Caecilia Comitiſſa relicta quondam Vgonis Comitis, & Vgo Vicecomes, & VVilicione, & Alberto filii qaondam Villanii, & Ragginerium filium quondam Vitalı, & Gherardum filium quondam Carbonis.... f. virgo..... detinebat mani-

manibus, inveſtierunt, atque refutaverunt in manibus Rodulfi Lucenſis Epiſcopi, & Rugerii Volaterranenſis Epiſcopi, & Ildebrandi Piſtorienſis Epiſcopi, & Canonicorum Florentiae, ſcilicet Praepoſiti, & Archipresbyteri, & Archidiaconum, & Rolandi de Renonirhe pro Epiſcopo Piſano omnes caſas, & terras, & res Eccleſiaſticas, quas praedictus Vgo Comes habuit, & detinuit ſive iuſte, ſive iniuſte, ſive viveret, ſive moreretur, quae fuerunt de aliqua Eccleſia de praedictis Epiſcopatibus abſque aliquo tenore. Sic praedictus Vgo Comes iudicaverat in illa infirmitate, de qua mortuus fuerat. Praedicta Caecilia Comitiſſa, & ego Vicecomes, & VVilicione, & Albertus, & Raginerius, & Gherardus inveſtiverunt proprio nomine praedictos Epiſcopos & Canonicos & Rolandum pro Epiſcopo Piſano de medietate de omnibus caſtellis, ſeu curtis, caſis, & terris, & rebus, quas praedictus Vgo Comes habuit infra praedictos Epiſcopatus, excepto iure uxoris ſuae, & militibus, & ſervis, ſic alias legitimas eo modo, ſi praedicta Caecilia habuerat filium, vel filiam de praedicto Vgo Comite eſſet inanis, & vacua; & ſi filium, vel filiam non habuerit, ſicuti ſupra legitur, tunc praedicta Caecilia habeat de omnibus praedictis rebus uſusfructus, donec lectum mariti ſub caſto ordine obſervaverit; ſic praedictus Vgo Comes iudicavit, & confirmavit in ea infirmitate, in qua mortuus fuit, & praedicta Caecilia, & VViliccione, & Raginerius, & Gerardus apprenderet Vgonem Vicecomitem, & Albertum quondam Villani, & miſerunt eum in manibus praedicti Rodulfi Lucenſis Epiſcopi, ut inveſtirent ipſum Epiſcopum, & praedicta Caecilia, & Vgo Vicecomes, & VVilicione, & Albertus, & Raginerius apprehenderet Gerardum filium quondam Vgonis de Catignano, & miſerunt in manibus Rugerii Epiſcopi Vulterranenſis,

ut

ut inveſtirent eum, & apprehenderet Raginerium filium quondam Vitalis, & miſerunt in manus Canonicorum Florentiae, ut inveſtiret eos, & apprehenderent Vgonem q. . . . . . & miſerunt in manibus Ildebrandi Epiſcopi Piſtorienſis, ut inveſtiret eum in praeſentia Ricardi Iudicis Sacri Palatii Fralmi Vbaldi Cauſarum Allucii filii quondam Allucii praedicti Vgonis filii q. Duovi, & reliq.

Hoc factum eſt a Dominica Incarnatione milleſimo centeſimo tertiodecimo, X. Kalen. Martii, Indictione ſexta.

Albertus Notarius Domini Regis hoc Breve ſcripſi, & ibi fui &c. &c. &c.

Ann. AEr. Vulgaris.

1114. In inſtrumente, quo Mathilda immunitatem Monaſterio Padolironenſi concedit, teſtes inter alios nominantur, Opizo, Rainerius, & Wibertus de Gonzaga. Apud *Bacchinium*.

1115. In Diplomate, quo privilegia & immunitates Monaſterio Padolironenſi Mathilda concedit, teſtis inter alios recenſetur Opizo de Gonzaga. Apud *Bacchinium*.

1118. Henricus V. Hoſpitali S. Michaelis ad Renum bona, & iura confirmat. *Diploma* quod ad *Chronicon Pontificum* edidimus, *pag.* 193.

1120. Conradus Marchio Archicoenobium Vallisumbroſae, & alia eiusdem Congregationis Monaſteria, ab omni moleſtia & onere immunia declarat, & eis privilegia alia largitur. *Diploma*, cuius *ἀντίγραφον* apud *Soldanium*.

Con-

Ann. AEr. Vulgaris.

1122. Conradus Marchio Monaſteria Congregationis Vallumbroſanae a vectigalibus, aliiſque oneribus, immunia declarat. *Diploma* apud *Soldanium*.

1132. Harduinus Comes Guidonis Comitis filius, Epiſcopatui Piſano curtis, & caſtelli Apium quartam partem donat. *Inſtrumentum* in Archivo Archiepiſcopali Piſano *n.* 122.

1137. Lotharius Camaldulenſem Eremum, ceteraque eiusdem Ordinis Monaſteria in patrocinium recipit, & caſtri Anglarii poſſeſſionem illi confirmans, eiusdem caſtri incolis immunitatem concedit. *Diploma*, cuius ἀντίγραφον apud *Soldanium*, datum apud Fontianam IV. Idus Ianuarii.

1154. Fridericus Imperator anteceſſorum privilegia donationeſque confirmans, omnia Camaldulenſium Monaſteria ſub ſua protectione recipit, cum bonis univerſis. *Diploma*, datum Romaliae, cuius ἀντίγραφον apud *Fid. Soldanium*.

1159. Diploma Friderici, quod in *Synopſi* anno 1158. attribuimus, in hunc annum inſequentem reiiciendum eſſe videtur, nam datum eſt Indict. VII. anno regni eius VII. imperii IV. Sed me feſellit ἀπόγραφον.

1160. Fridericus Monaſterium S. Mariae de Criſpino in protectionem recipit, & privilegia & immunitates indulgens, a conſortio & dominio Florentinorum, Faventinorum, & Comitum Guidonum, alio-

An. AEr. Vulgaris.

aliorumque, eximit. *Diploma*, quod in medium adduximus *p.* 188. & *quod perperam anno* 1159. *in Synopſi adſignatum fuit, quum datum ſit Indict.* VIII. *Caſtrocari*.

1161. Fridericus Monaſterio Campi Leonis iura omnia poſſeſſioneſque confirmat, aliaſque largitur. *Diploma* apud *Vghellium*, datum Laude, quod male expoſitum fuerat in *Synopſi*.

1163. Fridericus Imperator Eccleſiam Arretinam & cuncta eius bona, ſub tutela, & protectione ſuſcipit. *Diploma* datum Laude, apud *Buralium* in *Epiſcopis Arretinis*, quod perperam in *Synopſi Chronologica* anno 1196. adſignatum fuerat.

1168. Imperator Monaſterio S. Mariae de Serena omnia bona & privilegia confirmat. *Diploma* apud *Soldanium*.

1174. Chriſtianus Moguntinus Antiſtes, Imperatoris in Italia Legatus, Canonicae Arretinae ſub Imperiali protectione ſuſceptae caſtrum & curtem Toppolem, & caſtrum Verrazzanum, concedit. *Diploma* laudatum in *Adverſariis Bonamici* apud *Florium*.

1181. Piſani, & Lucenſes inter ſe paciſcuntur de moneta cudenda, conveniuntque ut in moneta Piſana *nomen Lucae, vel Henrigi* non contineatur, immo nominatim contineatur *in moneta, quam Piſani fabricare debent, nomen Friderici, ſeu Curradi, & nomen Piſae*; teſtantur etiam ante haec pacta Piſani ſe habuiſſe poteſtatem

An. AErae Vulgar.

ſtatem *faciendi Lucenſem monetam vel de ipſa moneta ex conceſſione ſeu datione Curradi Regis, aut Friderici Imperatoris, &c. Inſtrumentum* autographum apud Roſſerminios Patricios Piſanos, relatum ex parte a Reverendiſs. Abbate Monacho Caſſinenſis Congregationis *Virginio Valſechio*, Sacrarum Litterarum in Piſana Academia Profeſſore doctiſſimo, in *Epiſtola de veteribus Piſanae Civitatis Conſtitutis*.

1186. Forte hoc anno Henricus VI. coenobium Montis Scalarii cum bonis omnibus in patrocinium ſuſcipit. Nam in *Diplomate*, quod apud *Soldanium* exſtat iidem teſtes recenſentur, ac in alio *Diplomate* hoc anno dato, quod exhibuimus, & quod in *Synopſi* huic eidem anno adſignatur: quin illud huic ſtatim ſubiicitur apud *Soldanium* laudatum, in *Hiſtor. Paſſinianenſi MS.*

1191. Henricus VI. XII. Kal. Martii quum Prati verſaretur, aliud Diploma ad Monachi Melioris, S. R. E. Cardinalis, preces, quo pariter ſimilia privilegia Vallumbroſanis indulget, atque eo, quod in *Synopſi* adlegavimus, concedit. *Diploma* cuius ἀπόγραφον apud *Soldanium*.

1193. Hoc circiter anno Conradus Tuſciae Marchio Monaſterio Paſſiniani bona & iura, & Friderici Henricique Imperatorum privilegia confirmat. *Diploma*, cuius ἀπόγραφον apud *Soldanium*.

1209 Otho IV. Piſanae Civitati ditionem ampliſſimam confert, & privilegia largitur. *Di-*

An. AEr. Vulgaris.

Diploma quod edimus *pag.* 206. Item Monaſterio Vallis umbroſae privilegia concedit *Diplomate* diverſo ab eo, quod in *Synopſi* adlegavi, apud *Saldanium* exſiſtente. Omnia bona Eccleſiae Arretinae Fridericum Henricumque anteceſſores imitatus confirmat, eamque in clientelam recipit. *Diploma* adlegatum in *Adverſariis MS. Bonamici* apud *Marium Florium*.

1210. Otho IV. quum Piſis eſſet die XX. Novembris donationem bonorum Monaſterio S. Mariae de Serena a Gherardo Comite factam, confirmat, conceditque ut contra illud niſi ſexagenaria praeſcriptio non currat. *Diploma*, cuius ἀπόγραφον apud *Soldanium*, & *quod anno* 1209. *in Synopſi adſignavimus, notatur enim Indictione XIII.* Idem bona omnia, caſtra, villas, & praedia Congregationis Camaldulenſis enumerat, confirmat, & ſuo patrocinio communit. *Diploma* datum apud Ficiclum, Indictione XIII. VIII. Idus Novembris, cuius ἀπόγραφον apud *Soldanium*. Privilegia & immunitates Matthaeo de Monteacuto eiuſque nepotibus largitur, & iam conceſſa confirmat. *Diploma* apud *Gamurrinium*, quod Typothetarum errore anno 1118. in *Synopſi* praenotatum fuerat.

1228. Piſani libertatem, remp. Vgolino Comite invadente, amittunt. *Thom. Dempſterus Lib. V. Etrur. Regal. Cap. I.*

Flo-

An. AEr. Vulgaris.

1239. Florentini Monaſterium Cultusboni, & eius res, ac perſonas in patrocinium recipiunt. *Inſtrumentum* quod edidi *pag.* 163.

1260. Manfredus Siciliae Rex oppidum Montispolitiani cum territorio Senenſibus donat. *Diploma* apud *Lunigium Tom. III.*

1272. Hencius Sardiniae Rex, inter alios heredes Henricum etiam, & Hugolinum nepotes ſuos ex filia Helena & Guelſo Donoratici Comite, genero ſuo, heredes inſtituit. *Teſtamentum apud Iacobum Mariam Campanacium, depromtum ex Archivo Fratrum Praedicatorum Bononiae.* Hinc Bernabos Donoratici Comes in Teſtamento ſe vocat Dominum ſextae partis regni Callaritani, inferius ad annum 1350. & in Sardinia Vicarium habet, ut inferius ad annum 1348. dicetur; atque Imilia Comitis Donoratici F. Vgolini Gonzagae uxor, Sardos reditus a Ricucho Vicario exigit, ut infra pariter ad annum 1349. exponetur.

1284. Rodulphus Imperator Ioannem de Avernis, Comitem Hannoniae, Vicarium Tuſciae generalem conſtituit. *Diploma* apud *Lunigium Cod. Italiae Diplom. Tom. I.*

1313. Henricus VII. Feudorum Imperialium, ad Epiſcopatum Maſſenſem pertinentium, alienationes irritas eſſe declarat. *Diploma* apud *Lunigium Tom. II.* datum Piſis.

1318. Bertus Azzolini F. ex Comitibus Albertis a Certaldo, petit a Florentinis, ut privilegiorum ſibi ab Othone Imperatore

An. AEr. Vulgaris.

conceſſorum ratio habeatur. *Inſtrumentum* apud *Gabr. Riccardium* Marchionem & Canonicum Reverendiſſimum.

1324. Ludovicus Imperator, civitatis Lucae, in gratiam denuo receptae, proſcriptionem revocat. *Diploma* apud *Lunigium T. II.* datum Francfurti. Caſtruccium Lucae Vicarium Imperialem conſtituit. *Diploma* ibidem. Caſtruccio ſuas, & S. R. Imperii in civitate Piſtorii, eiuſque territorio, vices committit. *Diploma* ibid.

1328. Imperator Caſtruccium Lucae Ducem creat. *Diploma* apud *Lunigium Tom. II.* Laudatum Caſtruccium Comitis Sacri Palatii dignitate, & privilegiis inſignit. *Diploma* ibid. Eiusdem Caſtruccii uxori viduae, & orphanis de alimentis, & reditibus in poſterum neceſſariis, proſpicit. *Diploma* ibidem datum Piſis.

1329. Ludovicus Imperator Petraeſanctae, & eius territorii vectigalia, Pinae Caſtruccii viduae quum conceſſiſſet, iubet Poteſtati eiusdem oppidi, ut id exſecutioni mandet, & nemo audeat adverſari. *Diploma* datum Piſis apud *Lunigium*. Verio Piſano religioſo fratri de Ordine militiae B. Mariae privilegia, & immunitatem, pro hoſpitali ab illo exſtructo concedit, & ab Henrico Imperatore conceſſa confirmat. *Diploma* apud *Comites Gherardeſcae*, olim a nobis edendum. Iacominae uxori Tedicii Comitis Donoratici, quae antea Ioanni Iudici Arboreae nupſerat,

An. AEr. Vulgaris.

rat, Marzano filio Ioannis naturali privato, & Vgeto pariter filio, non tam notho, quam rebelli excluſo, omnium feudorum, quae memoratus Ioannes poſſidebat, inveſtituram concedit. *Diploma* apud *Comites Gherardeſcae*.

1331. Ioannes Bohemiae Rex ſponte ſe dedentes in tutelam Lucenſes accepit, contraque Florentinos mirifice iuvit. *Th. Dempſterus Lib. V. Etrur. Regal. Cap. V.*

1332. Normannus Dominus Celoniae de Roccha Claramontis Praetor Florentiae condemnat *Ceunuzzinum olim Puccini populi S. Mariae de Trevalle*, quod Coſmum fratrem ſuum capite damnatum, ita ut *ſtraſcinetur, ad caudam aſelli uſque ad locum iuſtitiae, & ibi caput eidem amputetur*, apud ſe recepiſſet. *Sententia* apud *Rob. Gherardium* Patricium Florentinum.

1348. Bernabos Comes Donoratici amplam ditionem in Regno Sardiniae poſſidens, Ricuchum de Ricuchis ſuum Vicarium in Sardinia generalem, ad ſuae adminiſtrationis rationes reddendas auctoritate Regis Aragoniae per Franciſcum de Sancto Clemente Caſtri Callari Vicarium compellit. *Inſtrum.* apud *Guid. Gherardeſcae Comitem illuſtriſſimum*, quod olim edemus.

1349 Imilia Bonifacii Comitis Donoratici filia, uxor Vgolini Gonzagae, tamquam ſoror & heres univerſalis Comitis Rainerii fratris ſui, Alexandrum de Magnis de

An. AEr. Vulgar.

Capiana civem Mantuanum, ſuum procuratorem conſtituit ad exigendum florenos DCXII. aureos a Gualando Ricuchi F. de Ricucho, debitos ex adminiſtratione unius anni bonorum Inſulae Sardiniae, quam Ricuchus eius pater geſſerat. *Acta Iudicii* apud *Comites Gherardeſcae*.

1350. Bernabos Comes Donoratici *dominus ſextae partis Regni Callaritani una, & pro indiviſo cum nobili & potenti viro Domino Comite Gerardo fratre noſtro cariſſimo*, ut ait, *Idaciae* uxori, filiae Rogerii Comitis Romenae, mille florenos aureos ſe nomine dotis debere profitetur, & Gerardum fratrem ſuum heredem inſtituit. *Teſtamentum* apud *Guid. Comitem Gherardeſcae*.

1355. Carolus IV. privilegia & ditionem, quam Piſanis Otho IV. conceſſerat, confirmat, aliaque largitur. *Diploma*, quod editurus ſum. Piſanis indulget, ut bona in Civitate, vel diſtrictu Piſano, propter crimen laeſae maieſtatis ad Fiſcum devoluta, aut in poſterum devolvenda, Communi Piſano addicantur. *Diploma* apud *Lunigium T. III.* datum Petraeſanctae.

1364. Carolus IV. quum Pragae eſſet Petrum Epiſcopum Florentinum, S. R. Imperii Principem declarat, & privilegiis auget, atque inter alia, cauſſarum criminalium, civilium, & adpellationum, quae ad Curiam Imperialem pertinent,

co-

An. Ær. Vulgaris.

cognitionem plenam concedit. *Diploma* apud *Lunigium Tomo I. Cod. Ital. Diplom.* Privilegia Florentinae Academiae largitur. *Ibidem*. Ioannes Agnellius, Dux Piſanorum dictus, tyrannidem Piſis exercet. *Th. Dempſterus Lib. V. Etrur. Regal. cap. I.* Florentini die X. Ianuarii S. Miniatis arcem in deditionem recipiunt. *Monaldus Diario*.

1369. Carolus IV. quae caſtra, & loca ad comitatum & civitatem Lucanam pertineant, declarat *Diplomate*, dato Lucae, apud *Lunigium Tom. II.* Lucenſibus ius cudendae monetae concedit. *Diploma* ibidem. Quum Lucae hoc anno eſſet, Indict. VII. VII. Id. Iulii, anno regni XXIII. Imperii XV. dato Diplomate committit Ioanni de Ricciis civi Florentino Legum Doctori, & Paulo de Portiſanis de Sancto Miniate Iuris perito, Rectori Vniverſitatis Studii Florentini, ut vices Imperatoris gerentes, dirimant controverſiam, & decidant cauſam, vertentem inter Ioannem & heredes Franciſci quondam Merani de Tedaldinis civem Florentinum, & Commune Piſarum, filiosque, & heredes, & bonorum poſſeſſores Nobilis Caſtruccii de Caſtracanis. *Acta Iudicii* in membrana deſcripta cum *ἀπογράφῳ* Imperatorii Diplomatis, apud *Rob. Gherardium* Patricium Florentinum, & in praeſens Rectorem Vniverſitatis Studii Florentini, in quibus Actis pariter haec enun-

An.AEr.Vulgaris.

nunciantur: *Item dicta die poſt praedicta dictus Dominus Ioannes Iudex elegit . . . dictis partibus pro loco iudicii inter dictas partes facturi quamdam apothecam ſitam Florentiae in populo D. Benedicti de Florentia, ubi & in qua Rectores Studii Florentini ius reddunt.* Haec Acta olim edituri ſumus.

1385. Florentini cuſtodiam arcis Petraenerae Ligae Montis Lauri ad tres annos commiſerunt, ita ut ſinguli ſemeſtres unus de vera Liga Guelforum in Caſtellanum eiusdem eligeretur, qui tres famulos habere debeat, ſed haudquaquam de civitate, & comitatu Arretii, at aliunde. *Decretū* apud *Rob. Gherardium*, quod olim publici iuris faciemus.

FINIS.

VA1 1510087

	ERRATA	CORRIGE.
XX.	clementa.	elementa.
XXI.	LANI.	ALANI.
XXVI.	*ab ipſo.*	*ipſum.*
16.	ſubiudicare.	ſubindicare
32.	*quam.*	*quin*
42.	panis ſubſtantia.	panis ſubſtantiam
49.	innitur.	innuitur
50.	*Scindol.*	*Sciandol.*
55.	*Indictione XII.*	*Indictione XIII.*
70.	Monte Ionio.	Monte Iovio
71.	Tendimundo.	Teudimundo
75.	Monte Ionio.	Monte Iovio
85.	Berteſtatiſen.	Berteſtation
87.	*Antiqua Tabula,*	*Antiquae Tabulae*
95.	1052.	1152
	1054.	1154.
170.	videatur.	videantur.
174.	illos.	illi.
245.	*Motillianum cum Rocca.*	*Mutilianum cum Rocha.*
	Pintana.	*Rontana*
246.	*Mirilliolum.*	*Maſſiliolum*
	Petram auri.	*Petram Mauri*
	Curianum.	*Cutianum*
	Fregabolziam.	*Fregaboliziam*
	Poci.	*Foci*
	Turrimbenoſi.	*Turrim Benni.*
	Colculo.	*Colleclo.*
	Poluviciam.	*Polvicham*
	Et toto territorio eiusdem, Caſule.	*Et toto territorio Caſule.*
247.	*Bortolenam.*	*Roſtolenam.*
248.	*Pozzanum.*	*Porzanum*
	Cleticam.	*Cieticam*

Google

ERRATA	CORRIGE.
Poppium.	*Poplum*
Ciernam.	*Liernam*
Campoleſis.	*Campoleci*
250. *Surrium*.	*Sutrium*
255. a more.	more
285. *Fuccino*.	*Tuccino*
Fancucci.	*Tancucci*
288. *Cuocenti*.	*Buonconti*.
302. *non Iugales*.	*nos qd.*
felle.	*vel*
303. *pretermiſum*.	*potuerimus*
320. *Saldanium*.	*Soldanium*.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google